DE VETERE CONIUNCTIVI GRAECI FORMATIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXIX. M. NOVEMBR. A. MDCCCLXI

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

IOHANNES PAECH,
MARCHICUS.

ADVERSARII ERUNT:

GUSTAV DZIALAS, DR. PHIL.
BERNHARD STEUSSLOFF, DR. PHIL.
CURT LILIE, SEM PHIL SOD.

VRATISLAVIAE,
TYPIS GRASSII, BARTHII ET SOCII (W. FRIEDRICH).

DE

VETERE CONIUNCTIVI GRAECI FORMATIONE QUAESTIO.

Tractanti mihi verbi modorum usum Homericum, priusquam de eorum syntaxi ageretur, de ipsis formis nonnulla quaerenda videbantur. Atque imprimis quidem coniunctivi brevis, qui vocatur, *) vim et rationem censui investigandam esse comparandamque cum ratione coniunctivi longi: qua quaestione huius disputationis pars maxima efficietur. Ac statim ipsam rem aggrediamur.

Ut Buttmannus poëtas epicos coniunctivi vocalem longam metri causa saepius corripientes pro vocalibus *ω* et *η* rursus brevibus *ο* et *ε* uti in gramm. Graeca maiore I, p. 352 dicit: ita Kruegerus et in gramm. Graec. II, § 2, 6 et in libello de formis Homericis et Hesiodeis composito § 2, 5 metri causa docet epicos saepius vocalem *η* in breviorem *ε* corripere et *ω* in *ο*: cuius rei exempla mox affert *ἐγείρομεν*, *ἴομεν*, *πεποίθομεν*, cet.

Quo iudicio contenti ceteri grammatici, ut Ahrensius et G. Curtius, **) novi nihil protulerunt, nisi eo progressi sunt,

---

*) Quamquam et is coniunctivus, cuius vocalis propria brevis est, et is, cuius longa, ipsi non iure appellantur brevis et longus, tamen ut maiorem verborum ambitum vitemus, usitatam illam nominandi rationem servare liceat.

**) Ahrensius in libro de coniugatione, cuius propria est terminatio *μι*, apud Homerum adhibita (p. 8) et G. Curtius in libro de temporum modorumque et Graecorum et Latinorum formatione scripto (p. 245).

quod unius formae ἴομεν, quae sit coniugationis vocali coniunctiva („bindevocal") carentis, vocalem ο non correptam esse putant, sed primitivam. Curtius enim *) l. c. dicit: „vocalis coniunctivae productione quum conditio aliqua significetur, cogitationis rationem vel actum quasi effingi: vocis enim cunctationem, qua animum haerere et dubitare appareat, apte locum habere inter ipsam radicem et terminationem personalem i. e. inter praedicatum et subiectum, quorum coniunctio non simpliciter, sed conditione aliqua intercedente statuatur. Coniugationi autem vocali coniunctiva carenti, cuius propria sit terminatio μι, quod defuerit vocalis, quae produci potuisset, in lingua antiquissima brevem vocalem ad coniunctivum formandum ita interpositam esse, ut forma ἴομεν una temporis et vocis particula („mora") pariter maior sit quam ἴμεν ac forma ἄγωμεν maior quam ἄγομεν." — Haec quidem nova Curtius profert, sed de brevibus coniunctivis coniugationis vocali coniunctiva auctae Buttmannum secutus nihil novi docet. Legimus enim p. 248: „quemadmodum coniugationis vocali coniunctiva carentis leges apud Homerum saepe vacillent, ita coniugatio vocali coniunctiva aucta ut stabilis sit, tantum abesse, ut vocalis longa et brevis versus tantum et metri causa inter se commutentur": cuius rei exemplum addit formas ἄγεται et ἄγηται. Praeterea legimus p. 249: „quamvis forma flexibilis sit et mollis, tamen ubicunque possit fieri, modum significari (cf. πεποίθομεν, δείμομεν): qua in re Graecos vocalium copia magnopere adiutos esse, qua una fieri potuerit, ut neque metri ratio sit neglecta neque modus nota caruerit."

Unius igitur formae ἴομεν ratio a grammaticis recentioris aetatis, qui linguas cognatas inter se comparant, aliter atque priore tempore explicata est: de ceteris coniunctivis brevibus grammaticorum veterum iudicium ita valet, ut metri causa longas coniunctivi vocales ab epicis in breves mutari etiam nunc dicatur.

At enim quamvis poëtis multo magis quam solutae orationis scriptoribus suo ipsorum arbitrio uti liceat, tamen

*) Similiter Augustus Mommsenius, qui de futuri Graeci indole modali (Kiliae 1845) scripsit.

certi sunt illius arbitrii fines, quos nemo transiverit: ipsum enim linguae thesaurum et quasi fundamentum non violant poëtae. Qui licet brevi vocali duabus consonis antecedenti longae vocalis loco utantur, quum ad plures consonas pronunciandas maiore opus esse temporis particula bene sentiant, tamen vocalem brevem per se longam facere nec possunt nec volunt. Quin etiam illa positione carentes syllabae breves longarum arsium loco interdum reperiuntur, sed ipsa vocalium natura semper servatur. Ac vice versa longam vocalem aut diphthongum verbi alicuius extremam, si vocabulum a vocali incipiens sequitur, certis in locis versus pro brevi adhiberi saepius videmus, per se brevem eam esse nemo dicet. Cuiusmodi quaecunque afferentur, ipsas linguae formas nunquam violatas esse intelligemus. Servata autem est haec ratio etiam in vetere comoedia Romanorum, in qua linguae leges metri causa neglectas esse nimis saepe a viris doctis statuitur. Quamquam hoc concedimus, illius modi res in comoedia Romana multo difficilius ad certas rationes redigi posse quam apud Graecos et posteriores Romanorum scriptores. Fundamentum vero linguae nunquam, ut diximus, violatum est. Quum enim Plautus haud paucis syllabis verba terminantibus, quae posteriore tempore breves sunt, nonnunquam utitur longis, non suum ipsius arbitrium secutus novi aliquid invenit, sed servat usum posteriore aetate obsoletum, valentem suis temporibus, quibus illae syllabae ut in linguis cognatis longae erant: cuius generis exempla sunt *patēr, sorōr, amōr, audīt, amāt, legēt,* cet. Quodsi in ipsius Plauti versibus duplex illarum syllabarum ratio inest, et ea quidem, ut *amăt, audĭt,* cet. saepius reperiantur quam *amāt, audīt,* cet., ne hoc quidem poëtae metri causa inventum appellare licebit. Nam nisi Plauti tempore ab omnibus Romanis illae syllabae tum longae tum breves pronunciatae essent, – tum *patēr, legēt,* cet. tum *patĕr, legĕt,* cet., — poëta metri causa modo longam modo brevem formam certe non posuisset. Neque aliter de correptis vocalibus quorundam verborum extremis iudicandum est, quae priore tempore longae erant. Plautus enim *abĭ* et *amŏ* pro *abī* et *amō* non dixisset, nisi apud sui aetatis homines ista ratio valuisset.

Itaque eos coniunctivos Graecos, quorum propria vocalis brevis est, apud poëtas tantum usitatos fuisse negandum est, verum ut Homeri ita aequalium usu tritos eos fuisse censemus. Sed quid est illis formis cum coniunctivis longa vocali notatis, qui multo saepius reperiuntur? Num possunt formae *ὄρσωμεν* et *ὄρσομεν* eodem modo comparari atque *legāt, legēt, audīt, patēr, sorōr* et *legăt, legĕt, audĭt, patĕr, sorŏr?* Num *ὄρσομεν* eodem vocalium corripiendarum studio ex *ὄρσωμεν* factum est atque audĭt ex audīt, ut longi coniunctivi habendi sint priores, posteriores breves? Hoc statui vix potest. Nam qui accidit, quaeso, ut illa vocalium correptio quum apud Romanos in variis verborum et formarum generibus exstaret, in substantivis et verbis, in indicativo et coniunctivo, apud Graecos non esset usitata nisi in illis coniunctivis? Causa igitur huius rei ut fuerit phonetica — ut grammatici dicunt —, fieri non potest, verum in ipsa coniunctivorum formatione cernatur oportet, quia correptio illa, quae dici solet, unius coniunctivi propria est.

Priusquam autem ipsi rem accuratius pervestigamus, audiamus Curtium, qui l. c. (p. 248) aetate Homerica in formandis coniunctivis multum fuisse inconstantiae dicit: „coniunctivum non antiquissimis linguae temporibus, sed posteriore aliqua aetate ortum esse ex ipsa ea re apparere, quod apud Homerum unius metri causa modo longa forma modo brevis posita sit, ut *ἄγηται* et *ἄγεται*: poëtae enim si certa formarum ratio tradita esset, non licuisse ad arbitrium eam violare.“ At vix credibile est coniunctivum posteriore tempore ortum esse quam reliquos verbi modos. Comparata enim Vedarum lingua Sanscrita, qua ipse Curtius formam *ἴομεν* esse veterrimam demonstrat, apparet in vetustissimis illius linguae monumentis coniunctivum et praesentis et aoristi usitatissimum fuisse et posteriore demum tempore coniunctivi formis omissis optativum tantum et imperativum fuisse usitatos. Atque num est in coniunctivi ratione linguae Homericae tantum inconstantiae, quantum dicit Curtius? Num metri causa brevis coniunctivi vocalis pro longa poni potest? Num ad arbitrium poëta et *ἄγηται* et *ἄγεται* ponit?

Colligentibus nobis ea diligentia, qua opus est, et contemplantibus omnes coniunctivi formas Homericas apparebit

Homerum neque unquam *ἄγεται* pro *ἄγηται* dixisse neque ad arbitrium ullius longi coniunctivi loco posuisse formam breviorem. Reperimus potius coniunctivorum brevium certas leges.

Ac primum quidem de origine haec proponantur. Illa linguae Graecae aetate, qua veteriorem non novimus, cuius monumenta per Homerum servata nobis sunt, duo coniunctivi genera exstant, unum longis vocalibus *ω* et *η* notatum, alterum brevibus *ο* et *ε*. Quorum generum neutrum ab altero originem accepit, sed utrumque alteri aetate par e vetustissimo linguae tempore servatum est.

Ad usum inter utramque formam hoc interest: Indicativi vocalibus coniunctivis *ο* et *ε* aucti modus coniunctivus longis vocalibus *ω* et *η* significatur, indicativi vocali coniunctiva *α* aucti et indicativi vocali coniunctiva carentis modus coniunctivus brevibus vocalibus *ο* et *ε* significari potest. Atque Homerica quidem aetate eae formae, quarum breves sunt vocales, iam minus valent quam eae, quarum propriae sunt longae vocales, et ita quidem, ut coniunctivi brevis loco longior forma possit poni, *) non item pro longiore forma brevis. Exempla sunt:

Ind.	Coni. brevis.	Ind.	Coni. long.
		φεύγ-ο-μεν	*φεύγ-ω-μεν*
		ἐθέλ-ε-τε	*ἐθέλ-η-τε*
ὤρσ-α-μεν	*ὄρσ-ο-μεν*	*ἐπαύσ-α-μεν*	*παύσ-ω-μεν*
ἐτίσ-α-τε	*τίσ-ε-τε*	*ὤρσ-α-τε*	*ὄρσ-η-τε*
ἴδ-μεν	*εἴδ-ο-μεν*	*ἔθη-μεν*	*θέ-ω-μεν*
ἴσ-τε	*εἴδ-ε-τε*	*ἔθη-τε*	(*θέ-η-τε*)

Posteriore autem aetate plane omissis brevibus formis coniunctivus semper longis vocalibus *ω* et *η* denotatur.

Sed illa de brevibus coniunctivis lex apud Homerum non in omnes personas cadit, quarum ex indicativi ratione licere

*) Ceterum ubi e ratione et indicativi et terminationum personalium, — de quibus cf. sequentia, — brevem coniunctivum ponere licet, hoc genus solet reperiri, rarius longiores formae. Universum tamen longorum coniunctivorum numerum multo maiorem esse ex eo apparebit, quod de terminationibus mox, de temporibus et praecipue quidem de praesenti postea disputabimus.

videatur. Neque enim singularis activi personae (ω, ῃς, ῃ) brevi vocali unquam notantur neque eae, quarum vocalem modi propriam duae consonae aut sequuntur (σθ, ντ) aut veteriore tempore secutae sunt: terminatio enim ωσι orta est ex ωντι. Quod ut magis perspicuum fiat, omnes quae exstant terminationes ante oculos ponantur:

		Activum.		Medium.	
		Coni. long.	brev.	Coni. long.	brev.
Sing.	1.	ω		ωμαι	ομαι
	2.	ῃς		ηαι	εαι
	3.	ῃ		ηται	εται
Plur.	1.	ωμεν	ομεν	ωμεθα	ομεθα
	2.	ητε	ετε	ησθε	
	3.	ωσι (ωντι)		ωνται	
Dual	2.	ητον	ετον	ησθον	
	3.				

In singularis prima persona brevem vocalem ο unquam locum habuisse vix crediderim: in reliquis autem formis modo ante oculos positis (ῃς, ῃ, ωσι, ησθε, ωνται, ησθον) quod longa tantum vocalis reperitur, mirum videri potest. Cur non habemus coniunctivos, quorum terminationes sunt εις, ει (pro εσι, ετι), οσι, εσθε, ονται, εσθον pariter atque usitatos illos, qui terminantur syllabis ῃς, ῃ (pro ησι, ητι), ησθε, ωνται, ησθον? An suspicemur eorum culpa, qui carmina Homerica collegerunt, et culpa veterum grammaticorum accidisse, ut illius modi formae nobis non traditae sint? Quod factum esse non tam incredibile videtur. Coniunctivi enim breves syllabis ομεν, ετε, ομαι, εαι, cet. terminati, qui non minus quam longiores formae usitati erant, servarentur necesse erat, quia in illis locis metro breves tantum vocales aptae erant, non longae. Sed quae ratio in iis terminationibus valuit, quarum vocales ο et ε aut accedente ι vocali aut positione productae erant? Iam ab ipsis rhapsodis illarum formarum ο et ε facile in ω et η produci poterant.

Atque servata nobis est una coniunctivi forma ἐπεντύνονται ω 89, cuius vocalis coniunctiva quamquam duabus consonis antecedit, brevis est.

ω 89. ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησας*)
ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος
ζώννυνταί τε νέοι καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα.

Cuius loci prior coniunctivus ζώννυνται non e ζωννύωνται ortus est, sed e ζωννύονται: vocalis enim *o* cum vocali *υ* pariter coalescit atque optativi vocalis *ι* ab *υ* saepius quasi devoratur: qua de re cf. Buttm. gr. Gr. mai. I, pp. 427, 519. Grammatici igitur quum illud ζώννυνται coniunctivum esse brevi vocali formatum haud nescirent, hac re, opinor, commoti sunt, ut etiam sequentem coniunctivi brevem formam quamquam metro non coacti servarent. Itaque etiam in aliis eiusdem generis formis vocalem brevem fuisse credideris, sed quum fieri non possit, ut quomodo illam rem statuerint veteres Homeri editores, cognoscamus, coniunctivi formae, quales traditae sunt, etiam nobis erunt servandae.

De usu autem earum personarum, quarum exstant coniunctivi breves, haec addenda sunt. Kruegerus in libello de formis Homericis et Hesiodeis scripto (§ 2, 5, 1) brevis coniunctivi tertiam personam singularis (medii) et primam pers. plur. maxime usitatas esse non accurate docet. Prima enim pluralis persona sine dubio longe creberrima est: cuius rei plures sunt causae. Illa enim persona una est, cuius et activi et medii breves coniunctivi exstant (cf. tabulam p. 6 positam): accedit quod illius personae omnia coniunctivi genera usitatissima sunt et praecipue quidem coniunctivus adhortativus. Tertiae autem personae sing. med. exempla non crebriora sunt quam secundae, utriusque personae crebriora quam reliquarum: cuius rei causa non in coniunctivorum brevium vi et ratione quaerenda est, sed in eo, quod universus harum coniunctivi personarum usus ad numerum idem est.

Iam quum quaeritur, num coniunctivi breves ad proprium aliquem usum syntacticum referri possint, hoc plane negan-

*) Et ad versuum numeros et ad verba tota hac dissertatione exemplari Bekkeriano utemur. — Ubicunque addito unius versus numero plures afferentur, eius versus numerus ponetur, in quo ipsa forma, de qua agitur, inest, non eius, a quo sententiarum nexus vel periodus incipit.

dum est. Reperiuntur enim in enunciationibus adhortativis, deliberativis, potentialibus, conditionalibus, finalibus, in interrogatione indirecta, in frequentiae enunciatis, in comparationibus. Conferantur haec exempla: *Α* 469, *Ξ* 76, *γ* 22, *Β* 258, *δ* 240, 412, *Ν* 327, *Φ* 314, *η* 223, *χ* 76, *Θ* 533, *Ι* 647, *Σ* 601. Quodsi brevem coniunctivum in enunciatis a verbo sentiendi pendentibus non reperimus, quale est

Α 559. *τῇ σ' ὀίω κατανεῦσαι ἐτήτυμον ὡς Ἀχιλῆα*
τιμήσῃς, ὀλέσῃς δὲ πολέας ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν —

id non mirandum videtur, quia eius generis illud exemplum exstat unum. Idem fere cadit in coniunctivos, quales insunt in

Α 262. *οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι.*
ζ 201. *οὐκ ἔσθ' οὗτος ἀνὴρ διερὸς βροτός, οὐδὲ γένηται.*

Huius enim quoque generis exempla quum rarissima sint quumque longi coniunctivi in universum numero praevaleant, non mirum est, quod in illis paucis locis breves coniunctivi non reperiuntur.

Iam redeamus ad legem supra a nobis propositam, qua brevem coniunctivum non exstare dictum est nisi eorum indicativorum, qui aut vocali coniunctiva *α* notati sint, aut vocali coniunctiva careant: passivi enim aoristum in numero formarum vocali coniunctiva carentium ponere licebit vocalemque *η* personarum terminationibus antepositam habere temporis propriam. — Neque vero difficilius neque audacius videtur ex una illa lege coniicere duplex aoristi primi genus olim usitatum fuisse, alterum vocali coniunctiva carens, alterum vocali coniunctiva *α* auctum, neque solum formas *ἐλύσ-α-μεν, ἐλύσ-α-τε, ἐπαυσ-ά-μην, ἐπαυσ-ά-μεθα* valuisse, sed etiam *ἔλυσ-μεν, ἔλυσ-τε, ἐπαύσ-μην, ἐπαύσ-μεθα.* Quin etiam primitivas fuisse formas vocali coniunctiva carentes veri est simile et posteriore tempore ortas esse alteras: quae iam Homeri aetate ita praevaluerunt, ut priores illae plane non essent usitatae. Quod quidem confirmari audio linguae Sanscritae duplici aoristi genere. Breves igitur aoristi coniunctivi ad veteres indicativos vocali coniunctiva carentes ita referendi esse videntur, ut *λύσομεν* coniunctivus sit indicativi *ἔλυσ-μεν, λύσωμεν* indicativi *ἐλύσ-α-μεν.* Itaque simplicissima coniunctivorum ratio proponi potest haec. Quum

coniunctivus ita fiat, ut inter indicativi radicem et terminationem vocalis *ο* aut *ε* interponatur, breves coniunctivi eorum tantum indicativorum sunt, qui carent vocali coniunctiva, — eorum, qui vocali coniunctiva aucti sunt, longi sint coniunctivi necesse est, quia duabus brevibus una efficitur longa vocalis.

Atque quatenus lex a nobis proposita vera sit ut appareat, omnes coniunctivi breves singulorum temporum ante oculos ponendi sunt.

I.

AORISTUS PRIMUS.

1. Eius generis aoristi primi, cuius propria est consona *σ*, coniunctivi breves quum iisdem indicativi futuri personis plane sint pares et utriusque formae ratio saepius ab ipso usu syntactico alterius paullum distet, interdum dubitari poterit, statuaturne aoristi coniunctivus an indicativus futuri. Sic fieri possit, ut *ἀρεσσόμεθα* *Δ* 362 aoristi coniunctivus habeatur.

Δ 362. *ἀλλ' ἴθι, ταῦτα δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', εἴ τι κακὸν νῦν*
εἴρηται· τὰ δὲ πάντα θεοὶ μεταμώνια θεῖεν.

Quamquam futurum maiore veritatis specie statuitur. Agamemno enim quum Ulyxem laeserit, non dicit: „peccatum corrigamus, si quid mali nunc dictum est,“ sed plurali numero futuri *ἀρεσσόμεθα* pro singulari *ἀρέσσομαι* utens quod peccaverit correcturum esse se ipsum promittit. Idem dicendum de

Ζ 526. *ἀλλ' ἴομεν· τὰ δ' ὄπισθεν ἀρεσσόμεθ', εἴ κέ ποθι Ζεὺς*
δώῃ ἐπουρανίοισι θεοῖς αἰειγενέτῃσιν
κρητῆρα στήσασθαι ἐλεύθερον ἐν μεγάροισιν,
ἐκ Τροίης ἐλάσαντας ἐυκνήμιδας Ἀχαιούς.

Pariterque in

Ψ 159. *νῦν δ' ἀπὸ πυρκαϊῆς σκέδασον καὶ δεῖπνον ἄνωχθι*
ὅπλεσθαι. τάδε δ' ἀμφιπονησόμεθ', οἷσι μάλιστα
κήδεός ἐστι νέκυς· παρὰ δ' οἵ τ' ἀγοὶ ἄμμι μενόντων —

ἀμφιπονησόμεθα formam futuri indicativi habebimus, si de totius loci rerum statu cogitaverimus. Ceterum illorum trium locorum ratio, qua modum adhortativum — imperativum aut coniunctivum — futuri aliqua forma sequitur (*ἴθι — ἀρεσσόμεθα, ἴομεν — ἀρεσσόμεθα, σκέδασον καὶ ἄνωχθι — ἀμφιπονησόμεθα*) aliis locis confirmatur, in quibus de futuro dubitari non potest. Cf.

μ 293. *ἀλλ᾽ ἦ τοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ,*
δόρπον θ᾽ ὁπλισόμεσθα θοῇ παρὰ νηὶ μένοντες·
ἠῶθεν δ᾽ ἀναβάντες ἐ ν ή σ ο μ ε ν εὐρέι πόντῳ.

Diiudicata autem illorum trium locorum difficultate in enunciatis apud Homerum adhortativis vix alia eius modi difficultas inerit. In enunciatis vero conditionalibus, potentialibus, finalibus, in interrogatione indirecta interdum difficilius est rem diiudicare. Nam inter indicativum futuri et coniunctivum aoristi a particula *εἰ* in protasi periodi hypotheticae pendentes non tantum interest, ut non hic illic utraque ratio probari possit. Similiter in enunciatis potentialibus et in apodosi periodi hypotheticae apud Homerum coniunctivi loco cum *ἄν* particula coniuncti interdum futurum cum *ἄν* coniunctum reperitur. Atque in finalibus enunciatis Homericis futurum locum habere formis, de quibus dubitari non potest, satis firmatur, quales sunt *εἴσεται, κεχολώσεται, ἐντύνεαι.* In interrogationibus denique indirectis, in quibus non solum coniunctivus cum *ἄν* coniunctus exstat, sed nonnunquam etiam indicativus futuri auctus particula *ἄν*, inter utrumque genus discrimen non tantum est, ut non interdum forma dubia haberi possit et coniunctivus aoristi et indicativus futuri. Itaque nescio an fieri possit ut de nonnullis eius modi formis, de quibus agitur, aliter ac nos quis statuens numero eorum brevium coniunctivorum, quos mox proponemus, hanc addat formam, illam adimat: sed hoc nihil referret. Quaerimus enim de sola formatione: quae quum in omnibus illius generis aoristi coniunctivis eadem sit, nostro loco non nimium interest, centumne sint eius modi exempla an centum quinque.

A. Activi longe usitatissimam esse

α. p l u r a l i s p r i m a m p e r s o n a m iam commemoratum est.

A 141. νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν,
ἐς δ' ἐρέτας ἐπίτηδες ἀγείρομεν, ἐς δ' ἑκατόμβην
θείομεν, ἂν δ' αὐτὴν Χρυσηίδα καλλιπάρῃον
βήσομεν.

In his versibus quatuor sunt breves coniunctivi: *ἐρύσσομεν, ἀγείρομεν, θείομεν, βήσομεν*, quorum duo tantum, *ἐρύσσομεν* et *βήσομεν*, ad hunc disputationis locum pertinent: *ἀγείρομεν* et *θείομεν* posthac suo loco iterum commemorabuntur. Ceterum *ἐρύσσομεν* earum est formarum, quae saepius leguntur: *Ξ* 76, *P* 635, *ϑ* 34, *κ* 423, *π* 348.

Δ 62. ἀλλ' ἤ τοι μὲν ταῦθ' ὑποείξομεν ἀλλήλοισιν.

E 469. ἀλλ' ἄγετ' ἐκ φλοίσβοιο σαώσομεν ἐσθλὸν ἑταῖρον.

σαώσομεν reperies etiam *χ* 357 et *X* 175.

Z 230. τεύχεα δ' ἀλλήλοις ἐπαμείψομεν.

H 332. αὐτοὶ δ' ἀγρόμενοι κυκλήσομεν ἐνθάδε νεκρούς,
βουσὶ καὶ ἡμιόνοισιν· ἀτὰρ κατακήομεν αὐτούς...

339. ἐν δ' αὐτοῖσι πύλας ποιήσομεν εὖ ἀραρυίας,
ὄφρα δι' αὐτάων ἱππηλασίη ὁδὸς εἴη.

(341). ἔκτοσθεν δὲ βαθεῖαν ὀρύξομεν ἐγγύθι τάφρον.

Θ 529. ἀλλ' ἤ τοι ἐπὶ νυκτὶ φυλάξομεν ἡμέας αὐτούς.

I. 701. ἀλλ' ἤ τοι κεῖνον μὲν ἐάσομεν.

ἐάσομεν exstat etiam *Π* 60, *Σ* 112, *T* 8, 65, *Ω* 71, 523, *δ* 212, *κ* 443, *ξ* 171, 183, *π* 147.

Ξ 77. νῆες ὅσαι πρῶται εἰρύαται ἄγχι θαλάσσης,
ἕλκωμεν, πάσας δὲ ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν,
ὕψι δ' ἐπ' εὐνάων ὁρμίσσομεν.

O 295. πληθὺν μὲν ποτὶ νῆας ἀνώξομεν ἀπονέεσθαι.

P 121. Αἶαν, δεῦρο, πέπον. περὶ Πατρόκλοιο θανόντος
σπεύσομεν, εἴ κε νέκυν περ Ἀχιλλῆι προφέρωμεν.

Ψ 11. αὐτὰρ ἐπεί κ' ὀλοοῖο τεταρπώμεσθα γόοιο,
ἵππους λυσάμενοι δορπήσομεν ἐνθάδε πάντες.

Ω 357. ἀλλ' ἄγε δὴ φεύγωμεν ἐφ' ἵππων, ἤ μιν ἔπειτα
γούνων ἁψάμενοι λιτανεύσομεν, εἴ κ' ἐλεήσῃ.

667. τῇ δὲ δυωδεκάτῃ πολεμίξομεν, εἴ περ ἀνάγκη.

η 190, 1. ἠῶθεν δὲ γέροντας ἐπὶ πλέονας καλέσαντες
ξεῖνον ἐνὶ μεγάροις ξεινίσσομεν ἠδὲ θεοῖσιν
ῥέξομεν ἱερὰ καλά.

Altera huius loci forma *ῥέξομεν* inest etiam in *μ* 344, *H* 353.

κ 424. *νῆα μὲν ἂρ πάμπρωτα ἐρύσσομεν ἤπειρόνδε,*
κτήματα δὲ σπήεσσι πελάσσομεν ὅπλα τε πάντα.

ν 182. *Ποσειδάωνι δὲ ταύρους*
δώδεκα κεκριμένους ἱερεύσομεν, εἴ κ' ἐλεήσῃ.

κ 449. *εἰ μὲν γάρ κέ σε νῦν ἀπολύσομεν ἠὲ μεθῶμεν,*
ἦ τε καὶ ὕστερον εἶσθα θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.

π 254. *τῶν εἴ κεν πάντων ἀντήσομεν ἔνδον ἐόντων,*
μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσεαι ἐλθών.

Θ 96. *ἀλλὰ μέν', ὄφρα γέροντος ἀπώσομεν ἄγριον ἄνδρα.*

χ 76. *ἐπὶ δ' αὐτῷ πάντες ἔχωμεν*
ἁθρόοι, εἴ κέ μιν οὐδοῦ ἀπώσομεν ἠδὲ θυράων.

K 65. *αὖθι μένειν, μή πως ἀβροτάξομεν ἀλλήλοιιν.*

Φ 314. *ἵστη δὲ μέγα κῦμα, πολὺν δ' ὀρυμαγδὸν ὄρινε*
φιτρῶν καὶ λάων, ἵνα παύσομεν ἄγριον ἄνδρα.

η 165 (cf. 181). *σὺ δὲ κηρύκεσσι κέλευσον*
οἶνον ἐπικρῆσαι, ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
σπείσομεν, ὅς θ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ,

Π 271. *ἀνέρες ἔστε, φίλοι, μνήσασθε δὲ θούριδος ἀλκῆς,*
ὡς ἂν Πηλεΐδην τιμήσομεν, ὃς μέγ' ἄριστος . . . .,
γνῷ δὲ καὶ Ἀτρεΐδης . . . . ἣν ἄτην . . . .

I 46. *ἀλλ' ἄλλοι μενέουσι κάρη κομόωντες Ἀχαιοί*
εἰς ὅ κέ περ Τροίην διαπέρσομεν.

B 72, 83. *ἀλλ' ἄγετ', εἴ κέν πως θωρήξομεν υἷας Ἀχαιῶν.*

O 297. *αὐτοὶ δ', ὅσσοι ἄριστοι ἐνὶ στρατῷ εὐχόμεθ' εἶναι,*
στείομεν, εἴ κεν πρῶτον ἐρύξομεν ἀντιάσαντες.

β 168. *ἀλλὰ πολὺ πρίν*
φραζώμεσθ' ὥς κεν καταπαύσομεν.

Δ 16. *ἡμεῖς δὲ φραζώμεθ' ὅπως ἔσται τάδε ἔργα,*
ἤ ῥ' αὖτις πόλεμόν τε κακὸν καὶ φύλοπιν αἰνήν
ὄρσομεν, ἦ φιλότητα μετ' ἀμφοτέροισι βάλωμεν.

M 328 (*N* 327). *ἴομεν, ἠέ τῳ εὖχος ὀρέξομεν ἠέ τις ἡμῖν.*

X 175, 6. *ἀλλ' ἄγετε φράζεσθε, θεοὶ, καὶ μητιάασθε*
ἠέ μιν ἐκ θανάτοιο σαώσομεν, ἠέ μιν ἤδη
Πηλεΐδῃ Ἀχιλῆι δαμάσσομεν ἐσθλὸν ἐόντα.

δ 28. *ἀλλ' εἴπ' ἤ σφωιν καταλύσομεν ὠκέας ἵππους,*
ἦ ἄλλον πέμπωμεν ἱκανέμεν, ὅς κε φιλήσῃ.

β. Pluralis secunda persona multo rarius reperitur quam prima.

Ο 115. *μὴ νῦν μοι νεμεσήσετ', Ὀλύμπια δώματ' ἔχοντες,*
τίσασθαι φόνον υἷος ἰόντ' ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν.
Ν 47. *Αἴαντε, σφὼ μέν τε σαώσετε λαὸν Ἀχαιῶν*
ἀλκῆς μνησαμένω, μηδὲ κρυεροῖο φόβοιο.
η 223. *ὑμεῖς δ' ὀτρύνεσθε ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφιν*
ὥς κ' ἐμὲ τὸν δύστηνον ἐμῆς ἐπιβήσετε πάτρης.
μ 27. *αὐτὰρ ἐγὼ δείξω ὁδὸν ἠδὲ ἕκαστα*
σημανέω, ἵνα μή τι κακορραφίῃ ἀλεγεινῇ
ἢ ἁλὸς ἢ ἐπὶ γῆς ἀλγήσετε πῆμα παθόντες.
Φ 134. *ἀλλὰ καὶ ὥς ὀλέεσθε κακὸν μόρον, εἰς ὅ κε πάντες*
τίσετε Πατρόκλοιο φόνον καὶ λοιγὸν Ἀχαιῶν.

γ. Dualis secunda persona in duobus tantum locis exstat.

Κ 442. *ἀλλ' ἐμὲ μὲν νῦν νηυσὶ πελάσσετον ὠκυπόροισιν,*
ἠέ με δήσαντες λίπετ' αὐτόθι νηλέι δεσμῷ.
Ρ 452. *σφῶιν δ' ἐν γούνεσσι βαλέω μένος ἠδ' ἐνὶ θυμῷ,*
ὄφρα καὶ Αὐτομέδοντα σαώσετον ἐκ πολέμοιο.

δ. Dualis tertiae personae unum exemplum est

Ε 233. *Αἰνεία, σὺ μὲν αὐτὸς ἔχ' ἡνία καὶ τεὼ ἵππω . . . ,*
μὴ τὼ μὲν δείσαντε ματήσετον, οὐδ' ἐθέλητον
ἐκφερέμεν πολέμοιο, τεὸν φθόγγον ποθέοντε.

Tam diversos autem esse numeros exemplorum ad singulas personas pertinentium nemo mirabitur, qui omnem personarum rationem fere eandem esse consideraverit.

B. Ad **medium** transeuntibus nobis primum ante oculos ponenda sunt exempla

α. singularis primae personae.

Υ 352. *ἀλλ' ἄγε δὴ Δαναοῖσι φιλοπτολέμοισι κελεύσας*
τῶν ἄλλων Τρώων πειρήσομαι ἀντίος ἐλθών.

Eadem forma *πειρήσομαι* exstat *ζ* 126, *Τ* 70, *φ* 282.

κ 286. *ἀλλ' ἄγε δή σε κακῶν ἐκλύσομαι ἠδὲ σαώσω.*
γ 22. *Μέντορ, πῶς τ' ἄρ' ἴω; πῶς τ' ἂρ προσπτύξομαι αὐτόν;*
Ξ 237. *κοίμησόν μοι Ζηνὸς ὑπ' ὀφρύσιν ὄσσε φαεινώ,*
αὐτίκ' ἐπεί κεν ἐγὼ παραλέξομαι ἐν φιλότητι.

Φ 341. μηδὲ πρὶν ἀπόπαυε τεὸν μένος, ἀλλ' ὁπότ' ἂν δὴ
φθέγξομ' ἐγὼ ἰάχουσα, τότε σχέμεν ἀκάματον πῦρ.
B 258. εἴ κ' ἔτι σ' ἀφραίνοντα κιχήσομαι ὥς νύ περ ὧδε,
μηκέτ' ἔπειτ' Ὀδυσῆι κάρη ὤμοισιν ἐπείη, ...
εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω.
E 212. εἰ δέ κε νοστήσω καὶ ἐσόψομαι ὀφθαλμοῖσιν
πατρίδ' ἐμὴν ἄλοχόν τε καὶ ὑψερεφὲς μέγα δῶμα,
αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς,
εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην.
ε 417. εἰ δέ κ' ἔτι προτέρω παρανήξομαι, ἤν που ἐφεύρω
ἠιόνας τε παραπλῆγας λιμένας τε θαλάσσης,
δείδω μή μ' ἐξαῦτις ἀναρπάξασα θύελλα
πόντον ἐπ' ἰχθυόεντα φέρῃ βαρέα στενάχοντα.
B 488. πληθὺν δ' οὐκ ἂν ἐγὼ μυθήσομαι οὐδ' ὀνομήνω,
οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν.

μυθήσομαι etiam in his similibus locis reperitur: δ 240, λ 328, 517.

Γ 416. μή μ' ἔρεθε, σχετλίη, μὴ χωσαμένη σε μεθείω,
τῶς δέ σ' ἀπεχθήρω ὡς νῦν ἔκπαγλα φίλησα,
μέσσῳ δ' ἀμφοτέρων μητίσομαι ἔχθεα λυγρά.
Ψ 207. οὐχ ἕδος· εἶμι γὰρ αὖτις ἐπ' Ὠκεανοῖο ῥέεθρα,
Αἰθιόπων ἐς γαῖαν, ὅθι ῥέζουσ' ἑκατόμβας
ἀθανάτοις, ἵνα δὴ καὶ ἐγὼ μεταδαίσομαι ἱρῶν.
γ 419. καρπαλίμως μοι, τέκνα φίλα, κρηήνατ' ἐέλδωρ,
ὄφρ' ἦ τοι πρώτιστα θεῶν ἱλάσσομ' Ἀθήνην.
δ 670. ἀλλ' ἄγ' ἐμοὶ δότε νῆα θοὴν καὶ εἴκοσ' ἑταίρους,
ὄφρα μιν αὖτις ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω.
ζ 219. ἀμφίπολοι, στῆθ' οὕτω ἀπόπροθεν, ὄφρ' ἐγὼ αὐτός
ἅλμην ὤμοιιν ἀπολούσομαι, ἀμφὶ δ' ἐλαίῳ
χρίσομαι.
ο 82. εἰ δ' ἐθέλεις τραφθῆναι ἀν' Ἑλλάδα καὶ μέσον Ἄργος
ὄφρα τοι αὐτὸς ἕπωμαι, ὑποζεύξω δέ τοι ἵππους,
ἄστεα δ' ἀνθρώπων ἡγήσομαι.
π 26. ἀλλ' ἄγε νῦν εἴσελθε, φίλον τέκος, ὄφρα σε θυμῷ
τέρψομαι εἰσορόων νέον ἄλλοθεν ἔνδον ἐόντα.
ψ 172. ἀλλ' ἄγε μοι, μαῖα, στόρεσον λέχος, ὄφρα καὶ αὐτός
λέξομαι.

Θ 376. ἀλλά σὺ μὲν νῦν νῶιν ἐπέντυε μώνυχας ἵππους,
ὄφρ' ἂν ἐγὼ καταδῦσα Διὸς δόμον αἰγιόχοιο
τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήξομαι.
χ 377. ἀλλ' ἐξελθόντες μεγάρων ἕζεσθε θύραζε
ἐκ φόνου εἰς αὐλήν, σύ τε καὶ πολύφημος ἀοιδός,
ὄφρ' ἂν ἐγὼ κατὰ δῶμα πονήσομαι ὅττεό με χρή.
Ι 647. ἀλλά μοι οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, ὁππότ' ἐκείνων
μνήσομαι, ὥς μ' ἀσύφηλον ἐν Ἀργείοισιν ἔρεξεν ...

β. Singularis secunda persona.

Κ 238. μηδὲ σύ γ' αἰδόμενος σῇσιν φρεσὶ τὸν μὲν ἀρείω
καλλείπειν, σὺ δὲ χείρον' ὀπάσσεαι αἰδοῖ εἴκων.
γ 45. αὐτὰρ ἐπὴν σπείσῃς τε καὶ εὔξεαι, ἣ θέμις ἐστίν,
δὸς καὶ τούτῳ ἔπειτα δέπας μελιηδέος οἴνου.
ε 348. αὐτὰρ ἐπὴν χείρεσσιν ἐφάψεαι ἠπείροιο,
ἂψ ἀπολυσάμενος βαλέειν ἐς οἴνοπα πόντον.
ν 336. σοὶ δ' οὔ πω φίλον ἐστὶ δαήμεναι οὐδὲ πυθέσθαι,
πρίν γ' ἔτι σῆς ἀλόχου πειρήσεαι.
Α 147. εἷς δέ τις ἀρχὸς ἀνὴρ βουληφόρος ἔστω,
ἢ Αἴας ἢ Ἰδομενεὺς ἢ δῖος Ὀδυσσεύς
ἠὲ σὺ Πηλεΐδη, πάντων ἐκπαγλότατ' ἀνδρῶν,
ὄφρ' ἥμιν ἑκάεργον ἱλάσσεαι ἱερὰ ῥέξας.
Ζ 260. ἀλλὰ μέν' ὄφρα κέ τοι μελιηδέα οἶνον ἐνείκω,
ὡς σπείσῃς Διὶ πατρὶ καὶ ἄλλοις ἀθανάτοισιν
πρῶτον, ἔπειτα δὲ καὐτὸς ὀνήσεαι, εἴ κε πίῃσθα.
Ξ 310. νῦν δὲ σεῦ εἵνεκα δεῦρο κατ' Οὐλύμπου τόδ' ἱκάνω,
μή πώς μοι μετέπειτα χολώσεαι, εἴ κε σιωπῇ
οἴχωμαι πρὸς δῶμα βαθυρρόου Ὠκεανοῖο.
Ψ 428. στεινωπὸς γὰρ ὁδός, τάχα δ' εὐρυτέρῃ παρελάσσεις,
μή πως ἀμφοτέρους δηλήσεαι ἅρματι κύρσας.
π 255. τῶν εἴ κεν πάντων ἀντήσομεν ἔνδον ἐόντων,
μὴ πολύπικρα καὶ αἰνὰ βίας ἀποτίσεαι ἐλθών.
α 270. σὲ δὲ φράζεσθαι ἄνωγα
ὅππως κε μνηστῆρας ἀπώσεαι ἐκ μεγάροιο.

γ. Singularis tertia persona.

Α 80. κρείσσων γὰρ βασιλεύς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι.
Λ 478. αὐτὰρ ἐπεὶ δὴ τόν γε δαμάσσεται ὠκὺς ὀιστός,
ὠμοφάγοι μιν θῶες ἐν οὔρεσι δαρδάπτουσιν.
Ρ 728. ἀλλ' ὅτε δή ῥ' ἐν τοῖσι ἑλίξεται ἀλκὶ πεποιθώς,
ἄψ τ' ἀνεχώρησαν διά τε τρέσαν ἄλλυδις ἄλλος.

I 409. ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθέμεν οὔτε λεϊστή
οὔθ' ἑλετή, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀ μ ε ί ψ ε τ α ι ἕρκος ὀδόντων.

δ 412. αὐτὰρ ἐπὴν πάσας π ε μ π ά σ σ ε τ α ι ἠδὲ ἴδηται,
λέξεται ἐν μέσσῃσι, νομεὺς ὣς πώεσι μήλων.

φ 159. αὐτὰρ ἐπὴν τόξου π ε ι ρ ή σ ε τ α ι ἠδὲ ἴδηται,
ἄλλην δή τιν' ἔπειτα Ἀχαιιάδων ἐυπέπλων
μνάσθω ἐέδνοισιν διζήμενος.

E 747. ἐς δ' ὄχεα φλόγεα ποσὶ βήσετο, λάζετο δ' ἔγχος
βριθὺ μέγα στιβαρόν, τῷ δάμνησι στίχας ἀνδρῶν
ἡρώων τοῖσίν τε κ ο τ έ σ σ ε τ α ι ὀμβριμοπάτρη.

I 508. ὃς μέν τ' α ἰ δ έ σ ε τ α ι κούρας Διὸς ἆσσον ἰούσας,
τὸν δὲ μέγ' ὤνησαν καί τε κλύον εὐχομένοιο.

ε 120. σχέτλιοί ἐστε, θεοί, ζηλήμονες ἔξοχον ἄλλων,
οἵ τε θεαῖς ἀγάασθε παρ' ἀνδράσιν εὐνάζεσθαι
ἀμφαδίην, ἤν τίς τε φίλον π ο ι ή σ ε τ' ἀκοίτην.

K 330. ἴστω νῦν Ζεὺς αὐτός, ἐρίγδουπος πόσις Ἥρης,
μὴ μὲν τοῖς ἵπποισιν ἀνὴρ ἐ π ο χ ή σ ε τ α ι ἄλλος
Τρώων, ἀλλὰ σέ φημι διαμπερὲς ἀγλαϊεῖσθαι.

Ψ 339. ἐν νύσσῃ δέ τοι ἵππος ἀριστερὸς ἐγχριμφθήτω,
ὡς ἄν τοι πλήμνη γε δ ο ά σ σ ε τ α ι ἄκρον ἱκέσθαι
κύκλου ποιητοῖο.

ϑ 444. αὐτὸς νῦν ἴδε πῶμα, θοῶς δ' ἐπὶ δεσμὸν ἴηλον,
μή τίς τοι καθ' ὁδὸν δ η λ ή σ ε τ α ι.

ο 444. μή τις ποτὶ δῶμα γέροντι
ἐλθὼν ἐξείπῃ, ὃ δ' ὀισάμενος καταδήσῃ
δεσμῷ ἐν ἀργαλέῳ, ὑμῖν δ' ἐ π ι φ ρ ά σ σ ε τ' ὄλεθρον.

τ 121. οὐδέ τί με χρὴ
οἴκῳ ἐν ἀλλοτρίῳ γοόωντά τε μυρόμενόν τε
ἧσθαι, ἐπεὶ κάκιον πενθήμεναι ἄκριτον αἰεί·
μή τίς μοι δμωῶν ν ε μ ε σ ή σ ε τ α ι, ἠὲ σύ γ' αὐτή.

ε 24. οὐ γὰρ δὴ τοῦτον μὲν ἐβούλευσας νόον αὐτή,
ὡς ἦ τοι κείνους Ὀδυσεὺς ἀ π ο τ ί σ ε τ α ι ἐλθών;

H 39. Ἕκτορος ὄρσωμεν κρατερὸν μένος ἱπποδάμοιο,
ἤν τινά που Δαναῶν π ρ ο κ α λ έ σ σ ε τ α ι οἰόθεν οἶος.

Θ 533. εἴσομαι ἤ κέ μ' ὁ Τυδεΐδης κρατερὸς Διομήδης
πὰρ νηῶν πρὸς τεῖχος ἀ π ώ σ ε τ α ι, ἦ κεν ἐγὼ τόν
χαλκῷ δῃώσας ἔναρα βροτόεντα φέρωμαι.

Φ 226. *Τρῶας δ' οὐ πρὶν λήξω ὑπερφιάλους ἐναρίζων*
πρὶν ἔλσαι κατὰ ἄστυ καὶ Ἕκτορι πειρηθῆναι
ἀντιβίην, ἤ κέν με δαμάσσεται ἦ κεν ἐγὼ τόν.
ω 217. *αὐτὰρ ἐγὼ πατρὸς πειρήσομαι ἡμετέροιο,*
εἴ κέ μ' ἐπιγνώῃ καὶ φράσσεται ὀφθαλμοῖσιν.
O 382. *οἳ δ', ὥς τε μέγα κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο*
νηὸς ὑπὲρ τοίχων καταβήσεται, ὁππότ' ἐπείγῃ
ἲς ἀνέμου.
ε 249. *ὅσσον τίς τ' ἔδαφος νηὸς τορνώσεται ἀνὴρ*
φορτίδος εὐρείης, ἐὺ εἰδὼς τεκνοσυνάων,
τόσσον ἔπ' εὐρεῖαν σχεδίην ποιήσατ' Ὀδυσσεύς.

Plures harum formarum etiam aliis in locis reperiuntur. *δαμάσσεται* *Φ* 226. *ἀμείψεται* *κ* 328. *πειρήσεται* *Σ* 601. *κοτέσσεται* *Θ* 391, *α* 101. *αἰδέσεται* *X* 419. *ποιήσεται* *Γ* 409. *δηλήσεται* *χ* 368. *νεμεσήσεται* *P* 93. *ἀποτίσεται* *γ* 216.

δ. Pluralis prima persona.

A 140. *ἀλλ' ἦ τοι μὲν ταῦτα μεταφρασόμεσθα καὶ αὖτις.*
Θ 503. *I* 66. *ἀλλ' ἦ τοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ*
δόρπα τ' ἐφοπλισόμεσθα.
Υ 258. *ἀλλ' ἄγε θᾶσσον*
γευσόμεθ' ἀλλήλων χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν.
η 192. ... *ῥέξομεν ἱερὰ καλά, ἔπειτα δὲ καὶ περὶ πομπῆς*
μνησόμεθ', ὥς χ' ὁ ξεῖνος ἄνευθε πόνου καὶ ἀνίης
πομπῇ ὑφ' ἡμετέρῃ ἣν πατρίδα γαῖαν ἵκηται.
μ 292. *ἀλλ' ἦ τοι νῦν μὲν πειθώμεθα νυκτὶ μελαίνῃ*
δόρπον θ' ὁπλισόμεσθα.
ξ 393. *ἀλλ' ἄγε νῦν ῥήτρην ποιησόμεθ'* ...
415. *ἄξεθ' ὑῶν τὸν ἄριστον, ἵνα ξείνῳ ἱερεύσω*
τηλεδαπῷ. πρὸς δ' αὐτοὶ ὀνησόμεθ', οἵ περ ὀιζὺν
δὴν ἔχομεν πάσχοντες ὑῶν ἕνεκ' ἀργιοδόντων.
M 224. *ὥς ἡμεῖς, εἴ πέρ τε πύλας καὶ τεῖχος Ἀχαιῶν*
ῥηξόμεθα σθένεϊ μεγάλῳ, εἴξωσι δ' Ἀχαιοί
οὐ κόσμῳ παρὰ ναῦφιν ἐλευσόμεθ' αὐτὰ κέλευθα.
A 444. *ὦ Χρύση, πρό μ' ἔπεμψε ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων*
παῖδά τέ σοι ἀγέμεν, Φοίβῳ θ' ἱερὴν ἑκατόμβην
ῥέξαι ὑπὲρ Δαναῶν, ὄφρ' ἱλασόμεσθα ἄνακτα.
I 172. *φέρτε δὲ χερσὶν ὕδωρ, εὐφημῆσαί τε κέλεσθε,*
ὄφρα Διὶ Κρονίδῃ ἀρησόμεθ', εἴ κ' ἐλεήσῃ.

Iam exemplis primi aoristi, cuius propria est consona *σ*, addemus **aoristum consona *σ* carentem** (2 et 3). Atque primum quidem

2. **earum radicum, quae vocali terminantur**, breves coniunctivi aoristici sunt *κήομεν, κατακήομεν, κατακείομεν, χεύομεν, περιχεύεται, ἀλεύεται*, qui leguntur his locis:

Η 333, 6. *ἀτὰρ κατακήομεν αὐτούς*
τυτθὸν ἀποπρὸ νεῶν, ὥς κ' ὀστέα παισὶ ἕκαστος
οἴκαδ' ἄγῃ, ὅτ' ἂν αὖτε νεώμεθα πατρίδα γαῖαν.
τύμβον δ' ἀμφὶ πυρὴν ἕνα χεύομεν ἐξαγαγόντες.
396 (cf. 377). *καὶ δὲ τόδ' ἠνώγει εἰπεῖν ἔπος, εἴ κ' ἐθέλητε*
παύσασθαι πολέμου δυσηχέος εἰς ὅ κε νεκρούς
κήομεν.
σ 419. *ἀλλ' ἄγε, οἰνοχόος μὲν ἐπαρξάσθω δεπάεσσιν,*
ὄφρα σπείσαντες κατακείομεν οἴκαδ' ἰόντες.
ζ 232 (*ψ* 159). *ὡς δ' ὅτε τις χρυσὸν περιχεύεται ἀργύρῳ ἀνήρ,*
ὣς ἄρα τῷ κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις.
ξ 400. *εἰ δέ κε μὴ ἔλθῃσι ἄναξ τεὸς ὡς ἀγορεύω,*
δμῶας ἐπισσεύας βαλέειν μεγάλης κατὰ πέτρης,
ὄφρα καὶ ἄλλος πτωχὸς ἀλεύεται ἠπεροπεύειν.

Horum exemplorum numerum forma *κελεύομεν* (*Ψ* 659) augeri veri esse simile disputatione extrema apparebit (p. 37).

3. **Earum radicum, quae consona liquida terminantur**, quaeque — nisi paucarum formarum (ut *ὄρσομεν*) rationem habeas — consona aoristica *σ* carent, formae huc pertinentes sunt *ἀγείρομεν, δείμομεν, ἰθύνομεν, ὀτρύνομεν, ἐπαμύνομεν, ἐγείρομεν, γείνεαι, ἱμείρεται, ὀδύρεται.*

Α 142. *νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν,*
ἐς δ' ἐρέτας ἐπίτηδες ἀγείρομεν.
Η 337. *ποτὶ δ' αὐτὸν (τύμβον) δείμομεν ὦκα*
πύργους ὑψηλούς, εἶλαρ νηῶν τε καὶ αὐτῶν.
Θ 110. *τούτω μὲν θεράποντε κομείτων, τώδε δὲ νῶι*
Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοις ἰθύνομεν.
Ι 165. *ἀλλ' ἄγετε, κλητοὺς ὀτρύνομεν, οἵ κε τάχιστα*
ἔλθωσ' ἐς κλισίην Πηληιάδεω Ἀχιλῆος.
Ν 465. *ἀλλ' ἕπευ, Ἀλκαθόῳ ἐπαμύνομεν, ὅς σε πάρος περ*
γαμβρὸς ἐὼν ἔθρεψε δόμοις ἔνι τυτθὸν ἐόντα.

Θ 531. πρῶι δ' ὑπηοῖοι σὺν τεύχεσι θωρηχθέντες
νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα.
Δ 352. πῶς δὴ φῂς πολέμοιο μεθιέμεν; ὁππότ' Ἀχαιοί
Τρωσὶν ἐφ' ἱπποδάμοισιν ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα,
ὄψεαι, ἢν ἐθέλῃσθα καὶ εἴ κέν τοι τὰ μεμήλῃ,
Τηλεμάχοιο φίλον πατέρα προμάχοισι μιγέντα.
Κ 146. ἀλλ' ἕπου, ὄφρα καὶ ἄλλον ἐγείρομεν, ὅν τ' ἐπέοικεν
βουλὰς βουλεύειν, ἢ φευγέμεν ἠὲ μάχεσθαι.
Β 440. ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα.
υ 202. οὐκ ἐλεαίρεις ἄνδρας, ἐπὴν δὴ γείνεαι αὐτός,
μισγέμεναι κακότητι καὶ ἄλγεσι λευγαλέοισιν.
α 41. ἐκ γὰρ Ὀρέσταο τίσις ἔσσεται Ἀτρεΐδαο,
ὁππότ' ἂν ἡβήσῃ καὶ ἧς ἱμείρεται αἴης.
δ 740. ἀλλά τις ὀτρηρῶς Δολίον καλέσειε γέροντα,
δμῶ' ἐμόν, ὅν μοι ἔδωκε πατὴρ ἔτι δεῦρο κιούσῃ,
καί μοι κῆπον ἔχει, πολυδένδρεον, ὄφρα τάχιστα
Λαέρτῃ τάδε πάντα παρεζόμενος καταλέξῃ,
εἰ δή πού τιν' ἐκεῖνος ἐνὶ φρεσὶ μῆτιν ὑφήνας
ἐξελθὼν λαοῖσιν ὀδύρεται, οἳ μεμάασιν
ὃν καὶ Ὀδυσσῆος φθῖσαι γόνον ἀντιθέοιο.

ἀγείρομεν reperitur etiam π 349, ἰθύνομεν Δ 528, ὀτρύνομεν α 85, π 355, ἐγείρομεν Κ 108, Σ 304, Τ 237.

Δείμομεν unius aoristi est: sed reliqui huius generis coniunctivi ad formam et praesentis et aoristi esse possunt: ad sententiam ἐγείρομεν Δ 352, γείνεαι υ 202, unius aoristi coniunctivi habendi sunt, reliquos et ad aoristum et ad praesens referri posse facile apparet. Atque praesentis quidem coniunctivos eos esse si censeremus, brevis vocalis ratio esset obscura et de explicatione desperantes ad Buttmanni iudicium ita confugere cogeremur, ut metri causa ex ὀτρύνωμεν, ἰθύνωμεν breviores formas ὀτρύνομεν, ἰθύνομεν esse factas dicendum esset. Iure autem illi coniunctivi ad praesens tempus referrentur, si indicativi formae vocali coniunctiva carerent ὄτρυν-μεν, ἴθυν-μεν: at non carent. Legitimae vero illae breves formae erunt, si aoristum statuentes ad indicativos antiquissimis temporibus vocali coniunctiva carentes (ὤτρυν-μεν, ἴθυν-μεν) et posteriore demum aetate vocali α auctos (ὠτρύν-α-μεν, ἰθύν-α-μεν) eas retulerimus: quod quidem in omnibus locis commode fieri potest. Atque

iam Buttmannus formam *ἀγείρομεν* videri dicit praesens, esse aoristum. Ceterum apud Homerum quum ipsius aoristi primi breves coniunctivi praeter ceteros usitati sint, maxime esset mirandum, si verborum liquidorum aoristi breves coniunctivi prope nulli exstarent: contra non minus mirum videretur, si harum ipsarum radicum praesentis breves coniunctivi tam crebri essent, cuius generis formas ad alias radices referendas prope nullas reperiri infra (p. 33 sq.) apparebit.

Restat *ἐπεντύνονται* ω 89, quem praesentis coniunctivum esse comparata priore verbo *ζώννυνται* veri est simile.

ἤδη μὲν πολέων τάφῳ ἀνδρῶν ἀντεβόλησας
ἡρώων, ὅτε κέν ποτ' ἀποφθιμένου βασιλῆος
ζώννυνταί τε νέοι καὶ ἐπεντύνονται ἄεθλα.

Mira autem est forma efficitque multum dubitationis. Illud enim unum esse exemplum, in quo brevem coniunctivi vocalem duae sequerentur consonae *(ντ)*, quum in omnibus ceteris eius modi formis ante duplicem consonam longa vocalis antecederet *(ωνται, ησθε,* cet.), iam supra (p. 7) commemoratum est. Haec autem ipsa forma, si ad praesens refertur, longa coniunctivi vocali aucta esse debet, quum indicativum vocali coniunctiva carentem *ἐπένθυν-νται* nemo noverit. Praeterea considerantibus nobis librum, in quo *ἐπεντύνονται* reperiatur, Odysseae ultimum esse eiusque partis, quae non annis sed fortasse saeculis recentior sit quam reliquae epicorum carminum Homericorum partes, res etiam difficilior videbitur. Quid? quum in vetustissimis carminum illorum partibus ea aetate ortis, qua brevis coniunctivi formatio etiam apud totam gentem quasi vigeret, nihilominus semper terminatio *ωνται* usitata esset, quomodo accidit, quaeso, ut apud poëtam aetatis multo recentioris terminatio *ονται* locum haberet? Attamen violare vel removere illam formam *ἐπεντύνονται* nobis non licet: quae quum relata ad praesens explicatione careat, — neque enim metri causa *ω* unquam potest in *ο* corripi, neque in hac ipsa forma correptione opus est —, nunc id tantum nobis restat, ut *ἐπεντύνονται* aoristi coniunctivum statuentes totum versum interpretemur: „quum cingerentur essentque parati," non „quum cingerentur ac se pararent".

II.

AORISTUS SECUNDUS.

A. Activi huius generis formae sunt hae.

α. Pluralis prima persona.

Α 143. *νῦν δ' ἄγε νῆα μέλαιναν ἐρύσσομεν εἰς ἅλα δῖαν,*
ἐς δ' ἐρέτας ἐπίτηδες ἀγείρομεν, ἐς δ' ἑκατόμβην
θείομεν.

φ 264. *ἀλλ' ἄγε, οἰνοχόος μὲν ἐπαρξάσθω δεπάεσσιν,*
ὄφρα σπείσαντες καταθείομεν ἀγκύλα τόξα.

Κ 97. *ἀλλ' εἴ τι δραίνεις, ἐπεὶ οὐδὲ σέ γ' ὕπνος ἱκάνει,*
δεῦρ' ἐς τοὺς φύλακας καταβείομεν.

κ 334. *ἀλλ' ἄγε δὴ κολεῷ μὲν ἄορ θέο, νῶι δ' ἔπειτα*
εὐνῆς ἡμετέρης ἐπιβείομεν.

Ο 297. *αὐτοὶ δ', ὅσσοι ἄριστοι ἐνὶ στρατῷ εὐχόμεθ' εἶναι,*
στείομεν, εἴ κεν πρῶτον ἐρύξομεν ἀντιάσαντες.

π 304. *μήτ' οὖν Λαέρτης ἴστω τό γε μήτε συβώτης*
μήτε τις οἰκήων μήτ' αὐτὴ Πηνελόπεια,
ἀλλ' οἶοι σύ τ' ἐγώ τε γυναικῶν γνώομεν ἰθύν.

Η 299. *δῶρα δ' ἄγ' ἀλλήλοισι περικλυτὰ δώομεν ἄμφω.*

θείομεν invenies etiam *Ψ* 244, 486, *ν* 364, *ἐπιβείομεν* *ζ* 262, *δώομεν* *Η* 351, *π* 184.

β. Dualis tertia persona.

σ 183. *ἀλλά μοι Αὐτονόην τε καὶ Ἱπποδάμειαν ἄνωχθι*
ἐλθεῖν, ὄφρα κέ μοι παρστήετον ἐν μεγάροισιν.

B. Medium.

α. Singularis prima persona.

Σ 409. *ἀλλὰ σὺ μὲν νῦν οἱ παράθες ξεινήια καλά,*
ὄφρ' ἂν ἐγὼ φύσας ἀποθείομαι ὅπλα τε πάντα.

Χ 111. *εἰ δέ κεν ἀσπίδα μὲν καταθείομαι ὀμφαλόεσσαν*
καὶ κόρυθα βριαρήν, δόρυ δὲ πρὸς τεῖχος ἐρείσας
αὐτὸς ἰὼν Ἀχιλῆος ἀμύμονος ἀντίος ἔλθω ....

β. Singularis tertia persona.

Υ 173. *γλαυκιόων δ' ἰθὺς φέρεται μένει, ἤν τινα πέφνῃ*
ἀνδρῶν ἢ αὐτὸς φθίεται πρώτῳ ἐν ὁμίλῳ.

Ξ 484. *τῷ καί κέ τις εὔχεται ἀνὴρ*
γνωτὸν ἐν μεγάροισιν ἀρῆς ἀλκτῆρα λιπέσθαι.

Λ 192. *αὐτὰρ ἐπεὶ ἢ δουρὶ τυπεὶς ἢ βλήμενος ἰῷ*
εἰς ἵππους ἅλεται, τότε οἱ κράτος ἐγγυαλίξω.

ρ 472. *οὐ μὴν οὔτ' ἄχος ἐστὶ μετὰ φρεσὶν οὔτε τι πένθος,*
ὁππότ' ἀνὴρ περὶ οἷσι μαχειόμενος κτεάτεσσιν
βλήεται, ἢ περὶ βουσὶν ἢ ἀργεννῇς ὀΐεσσιν.

γ. Pluralis prima persona.

Ξ 87. *οὐλόμεν', εἴθ' ὤφελλες ἀεικελίου στρατοῦ ἄλλου*
σημαίνειν, μηδ' ἄμμι ἀνασσέμεν οἷσιν ἄρα Ζεύς
ἐκ νεότητος ἔδωκε καὶ ἐς γῆρας τολυπεύειν
ἀργαλέους πολέμους, ὄφρα φθιόμεσθα ἕκαστος.

His exemplis compositis aoristi secundi coniunctivum brevi vocali notatum exstare intelligitur eorum maxime verborum, quorum et radix vocali terminatur et indicativus vocali caret coniunctiva, quae — ut breviter dicam — sequuntur rationem eius verborum generis, cuius propria est terminatio *μι: ἔθην, ἔβην, ἔστην, ἔβλην, ἔδων, ἔγνων, ἐφθίμην.*

ἔθε-μεν	*θεί-ο-μεν*
ἔβη-μεν	*καταβεί-ο-μεν*
ἔστη-μεν	*στεί-ο-μεν*
(ἔβλη-το)	*βλή-ε-ται*
ἔδω-μεν	*δώ-ο-μεν*
ἔγνω-μεν	*γνώ-ο-μεν*
ἐφθί-μεσθα	*φθι-ό-μεσθα*
ἔφθι-το	*φθί-ε-ται*

Eorum huius modi verborum, quorum indicativus syllaba *ην* terminatur, in coniunctivo aut servatur *η* ante vocalem modi propriam *(παρστήετον, βλήεται)* aut mutatur in diphthongum *ει (στείομεν, θείομεν, καταβείομεν)*, cuius ratio mihi obscura est. — Paucissima sunt verba, quorum quamquam radices vocali non terminantur, indicativus tamen vocali coniunctiva caret:

ἆλ-το	*ἅλ-ε-ται*
εὖκ-το	*εὔχ-ε-ται*

ἆλτο enim apud ipsum Homerum exstat, *εὖκτο* in fragmento epico tradito a Schol. Soph. Oed. C. 1375, quem locum Buttmannus (II, p. 186) commemorat.

Postremo addimus duas formas nondum commemoratas, *κιχείομεν* et *ἐρείομεν:*

Φ 128. *φθείρεσθ' εἰς ὅ κε ἄστυ κιχείομεν Ἰλίου ἱρῆς,*
ὑμεῖς μὲν φεύγοντες, ἐγὼ δ' ὄπιθεν κεραΐζων.
A 62. *ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα.*

Indicativum enim *ἐκίχην*, etsi formam imperfecti, tamen valuisse tamquam aoristum reliquis modis satis firmatur: de qua re cf. Buttmann. gr. II, p. 217. Atque secundum formae *ἐκίχημεν* analogiam coniunctivi *ἐρείομεν* indicativus *ἔρημεν* statuendus nobis videtur, quem quamquam non servatum veterrimis temporibus usitatum fuisse censemus.

III.

AORISTUS PASSIVI.

Exempla paucissima haec sunt:

Ω 53. *μὴ ἀγαθῷ περ ἐόντι νεμεσσηθείομεν ἡμεῖς.*
Γ 441. *ἀλλ' ἄγε δὴ φιλότητι τραπείομεν εὐνηθέντε.*
H 72. *ὅρκια μὲν Κρονίδης ὑψίζυγος οὐκ ἐτέλεσσεν,*
ἀλλὰ κακὰ φρονέων τεκμαίρεται ἀμφοτέροισιν,
εἰς ὅ κεν ἢ ὑμεῖς Τροίην ἐύπυργον ἕλητε
ἢ αὐτοὶ παρὰ νηυσὶ δαμήετε ποντοπόροισιν.

τραπείομεν reperitur etiam *Ξ* 314, *ϑ* 292. Parvum autem exemplorum numerum nemo mirabitur, qui universi huius temporis coniunctivi viginti tantum formas apud Homerum exstare consideraverit, quae sunt *θερέω ρ* 23, *δαμείω σ* 54, *χολωθῇς I* 33, *ἰανθῇς T* 174, *ἀμερθῇς X* 58, *δαμήῃς Γ* 436, *μιγήῃς ε* 378, *ἰανθῇ χ* 59, *ἐπαληθῇ ο* 401, *φανήῃ X* 73 (et saepius) et *φανῇ (I* 704*)*, *δαμήῃ (X* 246*)*, *σαπήῃ T* 27, *πειρηθῆτον K* 444, *πιστωθῆτον φ* 218, *πειρηθέωμεν X* 381, *ϑ* 100, *νεμεσσηθείομεν Ω* 53, *τραπείομεν Γ* 441 et saepius, *διακρινθῆτε ω* 532, *δαμήετε H* 72, *μιγέωσιν B* 475. Horum viginti exemplorum prima duodecim et ultimum quoniam partim singularis partim tertiae personae pluralis sunt, secundum rationem supra expositam (pag. 6) longa tantum coniunctivi vocali notata esse possunt: formantur enim aoristi passivi coniunctivus et optativus ad activi modum. Restant igitur septem formae, in quibus et longa vocalis et brevis locum

habere potest; quarum in tribus quod brevis vocalis inest, numerorum ratio fere legitima valet. — In *νεμεσσηθείομεν* et *τραπείομεν* vocalis *η*, — quam non coniunctivam esse sed temporis propriam supra (p. 8) iam diximus, — in *ει* eodem modo mutata est atque in formis *στείομεν, καταβείομεν.*

IV.

PERFECTUM.

Duorum tantum perfectorum *οἶδα* et *πέποιθα* reperiuntur breves coniunctivi, qui sunt *εἴδομεν, εἴδετε* et *πεποίθομεν*:

X 130. *εἴδομεν ὁπποτέρῳ κεν Ὀλύμπιος εὖχος ὀρέξῃ.*
Θ 18. *εἰ δ' ἄγε πειρήσασθε, θεοί, ἵνα εἴδετε πάντες.*
κ 335. *ἀλλ' ἄγε δὴ κολεῷ μὲν ἄορ θέο, νῶι δ' ἔπειτα*
εὐνῆς ἡμετέρης ἐπιβείομεν, ὄφρα μιγέντε
εὐνῇ καὶ φιλότητι πεποίθομεν ἀλλήλοισιν.

εἴδομεν etiam in his aliis locis exstat: *γ* 18, *A* 363, *N* 327, *Π* 19, *X* 244, *εἴδετε* *Σ* 53, *ι* 17. Indicativi autem formarum *εἴδομεν, εἴδετε* sunt *ἴδ-μεν, ἴσ-τε*, formae *πεποίθομεν* esset indicativus *πεποίθ-α-μεν.* Utrumque igitur brevium coniunctivorum genus habemus: priorum formarum indicativus vocali coniunctiva caret, alterius indicativus auctus est vocali coniunctiva *α*: de qua pariter atque de aoristi primi vocali coniunctiva (cf. p. 8) iudicari posse e plusquamperfecti forma *ἐπέπιθ-μεν* apparet.

Sed cur apud Homerum duorum tantum verborum breves perfecti coniunctivi reperiantur, iure quaeritur. — Perfecti quamvis indicativus saepe usitatus sit, tamen coniunctivus in carminibus Homericis rarissime exstat. Summam enim facientibus nobis coniunctivorum et brevium et longorum variasque unius coniunctivi personas tamquam varias formas computantibus non plures evenient quam viginti tres. *) Neque imperativorum perfecti numerus maior est, optativorum

---

*) Numeri igitur brevium perfecti coniunctivorum eandem fere esse rationem atque aoristi passivi superiore capite expositam facile apparebit.

summa vix dimidium huius numeri efficitur. Apud Homerum enim perfecti usitati indicativus tantum reperitur, modus subiectivus, — quo communi nomine coniunctivum, optativum, imperativum appellare liceat —, si una forma *λελῦντο* omittitur, non exstat nisi earum perfecti formarum, quae praesentis habent vim. Quae res quum disputatione accuratiore digna videatur, omnia exempla ante oculos ponemus: sed antequam ad ipsam hanc rem accedimus, de perfecti Homerici vi et notione pauca addenda sunt.

Perfecti Graeci ratio non eadem est atque Latini, — cuius duo exstare genera nemo nescit, perfectum logicum et historicum, quae vocantur, — sed aoristo, quo caret lingua Latina, temporis historici locum obtinente perfectum Graecum linguae Latinae unius perfecti logici par est. Verum etiam hoc perfecti Graeci genus duplex est: in uno enim praeteritum tempus et tempus praesens, quae perfecto coniuncta esse satis constat, quasi parem habent vim, in altero genere praesentis vis ita praevalet, ut eius modi formae tamquam nova et propria praesentia usitatae sint. Ne autem putetur inter utrumque genus discrimen tam leve esse, ut certi fines non possint constitui, neve quisquam opinetur uniuscuiusque verbi utrumque genus statui posse. Licet enim omnium verborum perfectum logicum cogitari et adhiberi possit, tamen paucorum ea est vis, ut perfectum illud praesentiale — hoc vocabulo uti liceat — possit cogitari. Forma *βέβληκα*, quae nobis exemplo sit, perfectum logicum quidem esse potest, non perfectum praesentiale. Itaque ipso usu verborum numerus haud magnus constitutus est, quorum perfecti forma loco praesentis habebatur. Quod genus quum apud ceteros Graecos tum praecipue apud Homerum reperitur: atque huius tantum perfecti generis modum subiectivum in carminibus Homericis exstare supra diximus, nunc omnia exempla afferendo confirmabimus. Paucissimorum autem verborum utrumque perfecti genus reperitur, quorum quae sit ratio ex ipsis exemplis mox inter cetera ante oculos ponendis apparebit. — Sequantur igitur exempla.

1. Duorum tantnm perfectorum, quae sunt *οἶδα* et *ἄνωγα*, omnes modi subiectivi exstant, ac prioris quidem formae *οἶδα* „scio“ praeter dualem numerum omnes coniunctivi

formae reperiuntur: *ἰδέω* *Ξ* 235, *π* 236 et *εἰδῶ* *Α* 515, *α* 174, *δ* 645, *ν* 232, *ξ* 186, *ω* 258, 297, 403, *εἰδῇς* *Α* 185, *Ζ* 150, *Θ* 420, *Υ* 213, *Ψ* 487, *β* 111, *η* 317, *ι* 348, *λ* 442, *χ* 234, *εἰδῇ* *Θ* 406, *Ο* 207, *Υ* 122, *Ψ* 322, *ϑ* 586, *τ* 329, 332, *εἴδομεν* *Α* 363, *Ν* 327, *Π* 19, *Χ* 130, 244, *εἴδετε* *Θ* 18, *Σ* 53, *ι* 17, *εἰδῶσι* *β* 112. Optativi sunt *εἰδείης* *ε* 206 et *εἰδείη* *Π* 73, imperativi *ἴσϑι* *β* 356, *λ* 224 et *ἴστω* *Ο* 36, 217, *Τ* 258, *ε* 184, *ξ* 158, *ρ* 155, *τ* 303, *υ* 230, *π* 302.

2. *ἄνωγα* „iubeo". Coniunctivi forma est *ἀνώγῃ* *Δ* 263, *Ι* 101, 703, *Κ* 130, *Ο* 148, *Χ* 351, *α* 316, optativi sunt *ἀνώγοιμι* *Τ* 206 et *ἀνώγοι* *Θ* 189, *ϑ* 70, *π* 141, *σ* 7, imperativi *ἄνωχϑι* *Κ* 67, *Λ* 204, *Ο* 160, *Τ* 160, 171, *Ψ* 158, *α* 274, *β* 113, *ρ* 508, 569, *σ* 182, *χ* 483, ita *ἀνώχϑω* *Λ* 189 ut *ἀνωγέτω* *β* 195, ita *ἄνωχϑε* *χ* 437 ut *ἀνώγετε* *ψ* 132.

3. *ἕστηκα* „sto". Coniunctivi tertia pers. sing. *ἑστήκῃ* reperitur *Ρ* 435, *χ* 469, imperativi secunda omnium numerorum persona: *ἕσταϑι* *χ* 489, *ἕστατον* *Ψ* 443, *ἕστατε* *Υ* 354.

4. *τέϑνηκα* „mortuus sum, bin todt". Optativus et imperativus exstant: *τεϑναίην* *Σ* 98, *τεϑναίης* *Ζ* 164, *τεϑναίη* *Γ* 102, *κατατεϑναίη* *δ* 224, — *τέϑναϑι* *ξ* 365, *τεϑνάτω* *Ο* 496.

5. *τέτληκα* „tolero, perpetior". *τετλαίη* *Ι* 573, *τέϑλαϑι* *Ε* 382, *υ* 18, *τετλάτω* *π* 275.

6. *πέποιϑα* „confido". *πεποίϑω* *ω* 329, *πεποίϑῃς* *Α* 524, *ν* 344, *πεποίϑομεν* *κ* 335.

7. *ὄλωλα* „es ist aus mit mir, perii". *ὀλώλῃ* *Δ* 164, *Ζ* 448.

8. *μέμηλεν* „curae est" formam impersonalem, cuius coniunctivus *μεμήλῃ* reperitur *Δ* 353 et *Ι* 359, plane idem valere atque *μέλει* ex his locis intelligitur:

Β 25. *οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,*
ᾧ λαοί ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλεν.

Ε 876. *σὺ γὰρ τέκες ἄφρονα κούρην*
οὐλομένην, ᾗ τ' αἰὲν ἀήσυλα ἔργα μέμηλεν.

ζ 65. *τὰ δ' ἐμῇ φρενὶ πάντα μέμηλεν.*

9. *ὄρωρα* „vigeo". *ὀρώρῃ* *Ι* 610, *Κ* 90, *Δ* 477, *Χ* 388, *σ* 133. Quod quidem verbum ex eorum parvo numero est, quorum utrumque exstat perfecti genus. Etsi igitur *ὄρωρα* in nonnullis locis perfectum proprium est, in quo temporis praeteriti vis praevalet, sicut in

B 797. *ὦ γέρον, αἰεί τοι μῦθοι φίλοι ἄκριτοι εἰσίν,*
ὥς ποτ' ἐπ' εἰρήνης· πόλεμος δ' ἀλίαστος ὄρωρεν —,

tamen ut etiam saepius perfectum praesentiale statuatur oportet, ita coniunctivus *ὀρώρῃ* in omnibus locis ad hanc vim referendus est. Nestor ad Patroclum dicit in

Λ 658. *τίπτε τ' ἄρ' ὧδ' Ἀχιλεὺς ὀλοφύρεται υἷας Ἀχαιῶν,*
ὅσσοι δὴ βέλεσιν βεβλήαται; οὐδέ τι οἶδεν
πένθεος ὅσσον ὄρωρε κατὰ στρατόν· οἳ γὰρ ἄριστοι
ἐν νηυσὶν κέαται βεβλημένοι οὐτάμενοί τε —

„nescit quantus luctus in castris vigeat („herrscht“) teneatque Achivos.“ Similiter in

M 348. *εἰ δέ σφιν καὶ κεῖθι πόνος καὶ νεῖκος ὄρωρεν,*
ἀλλά περ οἶος ἴτω Τελαμώνιος ἄλκιμος Αἴας —

Menelaus de utriusque Aiacis condicione et rerum statu dicit: „sin autem apud eos quoque pugna ardet“. Ac pariter verba Thootis mandata exsequentis intelligenda sunt

M 361. *εἰ δὲ καὶ ἐνθάδε περ πόλεμος καὶ νεῖκος ὄρωρεν,* cet.

Atque coniunctivum *ὀρώρῃ* ad hanc vim referendum esse ex omnibus exemplis inter se simillimis apparet, quorum unum ante oculos ponere satis est:

I 610. *φρονέω δὲ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ,*
ἥ μ' ἕξει παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν εἰς ὅ κ' ἀυτμὴ
ἐν στήθεσσι μένῃ καί μοι φίλα γούνατ' ὀρώρῃ.

10. *ἄρηρα* forma tantum perfectum est, vi praesens idemque valet atque „coniunctum esse, cohaerere“ aut „exstructum esse“: cuius coniunctivus *ἀρήρῃ* legitur

ε 361. *ὄφρ' ἂν μέν κεν δούρατ' ἐν ἁρμονίῃσιν ἀρήρῃ,*
τόφρ' αὐτοῦ μενέω καὶ τλήσομαι ἄλγεα πάσχων.

11. *πέφυκα* (*πεφύκῃ* reperies *Δ* 483) adeo praesentis loco habebatur, ut simili formatione augeretur atque *ἕστηκα* et *τέθνηκα*, quarum formarum futura exstant *ἑστήξω* et *τεθνήξω*. Imperfectum enim reperitur ad *πέφυκα* referendum, quasi hoc non vi tantum esset praesens, sed etiam forma (*πεφύκω*). Cf. Hesiod. Theog. 152.

τῶν ἑκατὸν μὲν χεῖρες ἀπ' ὤμων ἀίσσοντο
ἄπλαστοι, κεφαλαὶ δὲ ἑκάστῳ πεντήκοντα
ἐξ ὤμων ἐπέφυκον ἐπὶ στιβαροῖσι μέλεσσιν.

et Theog. 673, Scut. Her. 76, Op. et d. 149.

12. *ἀμφιβέβηκα* formam apud Homerum semper esse perfectum praesentiale idemque valere atque „circumdo, velo“ aut „tueor“ ex omnibus locis apparet, quorum hi conferantur:

μ 74. *οἱ δὲ δύω σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει*
ὀξείῃ κορυφῇ, νεφέλη δέ μιν ἀμφιβέβηκεν.

A 37. *κλῦθί μευ, ἀργυρότοξ', ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας.*

Quod quum constet, dubitari non poterit quin coniunctivi forma *ἀμφιβεβήκῃ*, quae legitur

δ 400. *ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκῃ,*
τῆμος ἄρ' ἐξ ἁλὸς εἶσι γέρων ἅλιος νημερτής —,

in uno codice Vindeb. reperta a Bekkero iure scribatur. Haec enim sententia in illo loco necessaria est: „quando sol medium coelum (nos dicimus „Zenith“) obteget vel velabit, senex e mari veniet.“ Reliquarum autem lectionum (*ἀμφιβεβήκει, ἀμφιβεβήκειν, ἀμφιβεβήκοι*) nulla illud „quando obteget“ efficitur, inest vero in *ἀμφιβεβήκῃ*. Satis enim notum est in enunciatis conditionalibus — et in puris et in relativis temporalibusque — praesentis coniunctivum vim habere futuri: esse autem *ἀμφιβέβηκα* praesentis loco exemplis modo confirmavimus.

13. *προβέβηκα* (coni. *προβεβήκῃ* *Π* 54) secunda est forma nobis commemoranda, cuius utrumque perfecti genus exstat. Ac perfectum quidem proprium habet verbi *προβαίνειν* propriam vim, quod apparet e *K* 252:

ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς,
ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε, παροίχωκεν δε πλέων νύξ —,

perfecti praesentialis vis est translata, ut valeat „antecedo, excello“, ut in

Ψ 890. *Ἀτρεΐδη· ἴδμεν γὰρ ὅσον προβέβηκας ἁπάντων.*

Atque ad alterum genus etiam coniunctivus *προβεβήκῃ* referendus est:

Π 54. *ἀλλὰ τόδ' αἰνὸν ἄχος κραδίην καὶ θυμὸν ἱκάνει,*
ὁππότε δὴ τὸν ὁμοῖον ἀνὴρ ἐθέλῃσιν ἀμέρσαι
καὶ γέρας ἂψ ἀφελέσθαι, ὅ τε κράτεϊ προβεβήκῃ.

14. *ἱλήκῃσι* coniunctivi, qui legitur

φ 365. *τάχ' αὖ σ' ἐφ' ὕεσσι κύνες ταχέες κατέδονται*
οἷον ἀπ' ἀνθρώπων, οὓς ἔτρεφες, εἴ κεν Ἀπόλλων
ἡμῖν ἱλήκῃσι καὶ ἀθάνατοι θεοὶ ἄλλοι —,

etsi indicativum ἵληκα non novimus, quem praesentis loco usitatum fuisse demonstremus, tamen praesentis vis „faveo, propitius sum“ facile intelligitur, orta e propria vi, quae est „reconciliatus, placatus sum“. Atque ut illud εἴ κεν ἱλήκῃσι idem valeat ac „si Apollo propitius erit“, — quod necessarium est —, post particulas εἴ κεν nulla forma locum habere potest nisi praesentis coniunctivus. Ἱλήκῃσι igitur coniunctivus sit oportet praesentis ἵληκα, quod ad solam formam perfectum fuit. Ceterum optativus ἱλήκοι „propitius sis“ coniunctus cum dictione εὐμενεῖς εἴητε apud scriptores posterioris aetatis reperitur.

15. βεβρύχῃ legitur

P 264. ὡς δ' ὅτ' ἐπὶ προχοῇσι διιπετέος ποταμοῖο
βεβρύχῃ μέγα κῦμα ποτὶ ῥόον, ἀμφὶ δέ τ' ἄκραι
ἠιόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Cuius coniunctivi quamquam pariter atque formae ἱλήκῃσι indicativum traditum non habemus, tamen quum verbo βοόωσιν cum βεβρύχῃ coniuncto praesens demonstratur, tum plusquamperfecto ἐβεβρύχειν, quod in

μ 242. ἀλλ' ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ἁλμυρὸν ὕδωρ,
πᾶσ' ἔντοσθε φάνεσκε κυκωμένη, ἀμφὶ δὲ πέτρη
δεινὸν ἐβεβρύχειν, ὑπένερθε δὲ γαῖα φάνεσκεν —

ad significandam consuetudinem vel actionem saepius repetitam eodem modo ac φάνεσκεν positum imperfecti habet vim, satis confirmatur, perfecti formam βέβρυχα praesentis notione mugiendi olim valuisse. Quodsi pro βεβρύχῃ lectione Aristophanea ipse indicativus βέβρυχεν traditus est, hac re disputatio nostra non turbatur. Nam etiamsi βέβρυχεν statuatur, praesentis notio nihilo minus valeat necesse est. Coniunctivus autem quum magis, ut ita dicam, Homericus sit et Aristophanis auctoritate quodam modo firmetur, praeferendus videtur.

16. ἔρριγα adeo perfectum praesentiale est, ut apud Hesiodum ἐρρίγοντι dativus participii tamquam a praesenti ἐρρίγω derivati reperiatur

Sc. H. 228. αὐτὸς δὲ σπεύδοντι καὶ ἐρρίγοντι ἐοικὼς
Περσεὺς Δαναΐδης ἐτιταίνετο.

Ceterum cf. locum Homericum *P* 175. Commemorata autem est forma ἔρριγα propter coniunctivum ἐρρίγῃσι, qui exstat

Γ 353. *Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργεν,*
δῖον Ἀλέξανδρον, καὶ ἐμῆς ὑπὸ χερσὶ δάμασσον,
ὄφρα τις ἐρρίγῃσι καὶ ὀψιγόνων ἀνθρώπων
ξεινοδόκον κακὰ ῥέξαι, ὅ κεν φιλότητα παράσχῃ.

βεβρώθοις formam non esse perfecti, sed praesentis *βεβρόθω* Buttmannus gr. II, p. 75 docet.

17. 18. *δείδια* et *ἐγρήγορα*, quorum imperativi *δείδιθι* et *ἐγρήγορθε* apud Homerum (*Ε* 827, *δ* 825, *σ* 63 et *Η* 371, *Σ* 299) exstant, tam nota sunt verba, ut de iis nihil addamus.

Priusquam autem ad paucas medii formas hoc loco commemorandas accedimus, de optativo *βεβλήκοι* agendum est, qui legitur

Θ 270. *ἔνθ' Αἴας μὲν ὑπεξέφερεν σάκος· αὐτὰρ ὅ γ' ἥρως*
παπτήνας, ἐπεὶ ἄρ τιν' ὀιστεύσας ἐν ὁμίλῳ
βεβλήκοι, ὃ μὲν αὖθι πεσὼν ἀπὸ θυμὸν ὄλεσκεν,
αὐτὰρ ὃ αὖτις ἰὼν, πάις ὣς ὑπὸ μητέρα, δύσκεν
εἰς Αἴανθ'· ὃ δέ μιν σάκεϊ κρύπτασκε φαεινῷ.

Indicativus plusquamperfecti *βεβλήκειν* libris traditur, *βεβλήκοι* ab Aristarcho esse positum scholiis docemur: quam coniecturam a vetere illo grammatico non sine nimio analogiae amore illatam esse censemus. Inest enim in illo plusquamperfecto aliqua syntaxis difficultas, quia actio proponitur saepius repetita: quae quum antecedente coniunctione *ἐπεί* optativo effingi soleat, Aristarchus optativum posuit. At plusquamperfecti indicativus et defendi potest et defendendus nobis videtur. Nam ut in lingua Latina ita apud Graecos plusquamperfectum in narrationibus ad celeritatem alicuius actionis effingendam interdum ita adhibetur, ut nihilo minus propriam vim servet. Apud Homerum autem plusquamperfectum simili modo tam saepe exstat, ut ab aoristo interdum non multum absit neque raro cum eo coniunctum reperiatur. Cf.

Ζ 495. *ὣς ἄρα φωνήσας κόρυθ' εἵλετο φαίδιμος Ἕκτωρ*
ἵππουριν· ἄλοχος δὲ φίλη οἶκόνδε βεβήκειν
ἐντροπαλιζομένη, θαλερὸν κατὰ δάκρυ χέουσα.

696. *τὸν δ' ἔλιπε ψυχή, κατὰ δ' ὀφθαλμῶν κέχυτ' ἀχλύς.*

Atque ipsam formam *βεβλήκειν* saepius sic positam esse ex his locis apparet:

E 66. *τὸν μὲν Μηριόνης ὅτε δὴ κατέμαρπτε διώκων,*
βεβλήκει γλουτὸν κάτα δεξιόν.

73. *τὸν μὲν Φυλεΐδης δουρικλυτὸς ἐγγύθεν ἐλθών*
βεβλήκει κεφαλῆς κατὰ ἰνίον ὀξέι δουρί.

661. *ὃ μὲν βάλεν . . . Σαρπηδών . . . .,*
Τληπόλεμος δ' ἄρα μηρὸν ἀριστερὸν ἔγχεϊ μακρῷ
βεβλήκειν, αἰχμὴ δὲ διέσσυτο μαιμώωσα,
ὀστέῳ ἐγχριμφθεῖσα· πατὴρ δ' ἔτι λοιγὸν ἄμυνεν.

Ξ 412. *τὸν μὲν . . . . Αἴας . . . . χερμαδίῳ*
στῆθος βεβλήκειν ὑπὲρ ἄντυγος, ἀγχόθι δειρῆς,
στρόμβον δ' ὣς ἔσσευε βαλών, περὶ δ' ἔδραμε πάντῃ.

Itaque *βεβλήκειν* quum ab aoristi notione non valde abhorreat, tolerari poterit ita coniunctum cum *ἐπεί*, ut sententia efficiatur haec „postquam percussit“: in qua etsi repetita actio non inest, de re saepius facta sermonem esse et e pronomine *τινά* et ex apodosi apparet. Ceterum pariter in ipsius apodosis priore verbo *ὄλεσσεν* libris tradito repetitionis notio frustra quaeritur, sed — nisi *ὄλεσκεν* scribere praeferas — e sequentibus verbis *δύσκεν* et *κρύπτασκεν* intelligenda est. Atque lingua Latina legibus astrictiore constructionem modo expositam haud imitatus sim, nostro autem sermone redditam ponere liceat: „nachdem er einen mit dem pfeile getroffen hatte, stürzte jener nieder und gab seinen geist auf, er selbst aber zog sich jedesmal hinter Aias zurück und der barg ihn jedesmal mit dem Schilde“. Difficultate non carere totam illius loci rationem confiteor: sed equidem librorum lectione servata hanc syntaxis anomaliam pati maluerim quam mutatis verbis cum Aristarcho formam *βεβλήκοι* inferre, qua lex a nobis proposita omnibusque exemplis firmata debilitatur. Ut enim verbi *βάλλω* perfectum proprium reperitur, ita perfectum praesentiale neque exstat neque facile cogitari potest.

Postremo perfecti medii formae huc pertinentes sequantur, quae paucae sunt.

19. *μέμνημαι* „memini, memor sum“ verbum notissimum est, cuius coniunctivus *μεμνώμεθα* reperitur ξ 168 et optativi formae *μεμνῄμην* *Ω* 745 et *μεμνῇτο* *Ψ* 361.

20. *ὀρώρεται* (*τ* 377, 524) formâ tantum pariter ab *ὄρωρεν* differt atque *ὀρώρηται* (*N* 271) ab *ὀρώρῃ* coniunctivo iam commemorato.

Praeterea afferenda sunt nonnulla medii perfecta, quorum imperativi tantum reperiuntur. Ac notissima quidem sunt perfecta praesentialia

21. 22. *δέδεγμαι* „exspecto, opperior, praesto sum" et *ἀλάλημαι* „errore vagor" commemoranda propter formas *δέδεξο* *E* 228, *T* 377, *X* 340 et *ἀλάλησο* *γ* 313.

23. *τέτυγμαι* et perfectum est proprium et praesentis vi adeo praeditum, ut saepe primitiva faciendi notione plane omissa idem valeat ac simplex verbum „sum". Cf.

E 207. *Ἶρι θεά, μάλα τοῦτο ἔπος κατὰ μοῖραν ἔειπες·*
ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἰδῇ.

X 420. *καὶ δέ νυ τῷ γε πατὴρ τοιόσδε τέτυκται,*
Πηλεύς, ὅς μιν ἔτικτε καὶ ἔτρεφε.

Itaque fit, ut imperativum *τετύχθω* reperiamus *β* 356, *φ* 231.

Imperativi *ἧσο* *B* 200, *Γ* 406, *Δ* 412, *π* 44, *σ* 105, *υ* 262, *κάθησο* *A* 565, *B* 191, *κεῖσο* *Σ* 178, *Φ* 122, 184, qui perfecti haberi solent, etiam forma sunt praesentis.

24. 25. *ἀνήφθω* *μ* 51, 162 et *πεπάλασθε* *H* 170 ultimi sunt huius generis imperativi. Cuius utriusque verbi quamquam neque perfecti indicativum neque plusquamperfectum novimus, lege omnibus exemplis firmata commoti haud iniuria censuerimus etiam illarum formarum indicativis praesentis notionem fuisse: quod ut confirmetur et perfectum *ἄρηρα* prioris verbi simillimum afferri potest et alterius infinitivus *πεπαλάσθαι* (*ι* 331), qui a praesenti minime distat.

Postremo quod de forma *λελῦντο* afferam, certi nihil habeo.

σ 238. *εἰ γάρ, Ζεῦ τε πάτερ καὶ Ἀθηναίη καὶ Ἄπολλον,*
οὕτω νῦν μνηστῆρες ἐν ἡμετέροισι δόμοισιν
νεύοιεν κεφαλὰς δεδμημένοι, οἱ μὲν ἐν αὐλῇ
οἱ δ' ἔντοσθε δόμοιο, λελῦντο δὲ γυῖα ἑκάστου,
ὡς νῦν Ἶρος ἐκεῖνος ἐπ' αὐλείῃσι θύρῃσιν
ἧσται νευστάζων κεφαλῇ, μεθύοντι ἐοικώς.

Perfectum praesentiale *λέλυμαι* quum statui non possit, unus optativus *λελῦντο* a lege nostra esset alienus. Sed de ipsa forma nondum satis quaesitum mihi videtur: cf. Buttm. gr. I, p. 427. Possitne fieri, ut aoristus vocali coniunctiva carens statuatur? — Verum, ut dixi, tota haec res mihi adhuc tam dubia est, ut certi quidquam pronunciare non audeam.

V.

PRAESENS.

Praesentis indicativus aut caret vocali coniunctiva, — id quod est coniugationis *μι* terminatione denotatae —, aut vocali coniunctiva auctus est. Ut igitur aoristi secundi ita praesentis indicativi vocali coniunctiva carentis coniunctivum brevi vocali notatum putaveris usitatum esse atque ut indicativi *ἔστη-τον* coniunctivum *στή-ε-τον* ita indicativorum *τί-θε-μεν*, *ἵστα-μεν*, *δίδο-μεν* exstare coniunctivos *τιθή-ο-μεν*, *ἱστή-ο-μεν*, *διδώ-ο-μεν*. At reperimus praesentis coniunctivi formas aut contractas: *τιθῶμεν*, *τιθῆτε*, *ἱστῶμεν*, *ἱστῆτε*, *διδῶμεν*, *διδῶτε*, quae e formis longa an brevi vocali notatis sint ortae, discerni iam non potest: aut contractione non adhibita coniunctivi vocalis semper est longa: *τιθέωμεν*, *τιθέητε*, *ἱστέωμεν*, *ἱστέητε*. Neque eae huius rationis radices, quae vocali *υ* terminantur, contractione carent, sed et coniunctivi vocalis et ipsius optativi *ι* ab illa vocali *υ* quasi devoratur: optativum enim conferas *δαινῦτο* pro *δαινύιτο* positum *Ω* 665, *δαινύατο* pro *δαινυίατο* *σ* 248, coniunctivus huius modi est *ζώννυνται* *ω* 89 (cf. pp. 7, 20): cuius formae longa vocalis *ῡ* quum non ex *υω* possit orta esse, coniunctivum brevi vocali notatum esse statuendum iam supra diximus. Atque hanc quidem rationem secuti formas contractas earum quoque huius generis radicum, quae vocalibus *α*, *ε*, *ο* terminantur, (*τιθῶμεν*, *τιθῆτε*, cet.) ortas esse censeamus oportet e coniunctivis brevi vocali notatis (*τιθή-ο-μεν*, *τιθή-ε-τε*).

Unius verbi, quod huius generis est, coniunctivus exstat brevi vocali notatus et contractione carens, verbi *εἶμι* notissima prima persona plur. coni. praes. *ἴομεν*.

B 440. ἡμεῖς δ' ἀθρόοι ὧδε κατὰ στρατὸν εὐρὺν Ἀχαιῶν
ἴομεν, ὄφρα κε θᾶσσον ἐγείρομεν ὀξὺν Ἄρηα.
Φ 438. τὸ μὲν αἴσχιον, εἴ κ' ἀμαχητί
ἴομεν Οὔλυμπόνδε, Διὸς ποτὶ χαλκοβατὲς δῶ.
ζ 259. ὄφρ' ἂν μέν κ' ἀγροὺς ἴομεν καὶ ἔργ' ἀνθρώπων,
τόφρα σὺν ἀμφιπόλοισι μεθ' ἡμιόνους καὶ ἅμαξαν
καρπαλίμως ἔρχεσθαι.

Addendi sunt loci *Z* 526, *I* 625, *K* 126, 251, *Λ* 469, *M* 216, 328, *Ξ* 128, 340, 374, *P* 340, *Σ* 266, β 404, ζ 31, κ 549, ξ 45, ρ 190, 194, ψ 83, 254, ω 358, 432, 437, 462.

Iam de reliquis praesentis brevibus coniunctivis quid censemus? Postquam enim formae ὀτρύνομεν, ἰθύνομεν, cet. aoristi esse visae sunt (pp. 19, 20), restant βούλεται, στρέφεται, ἐπείγετον, ναυτίλλεται, μίσγεαι, κελεύομεν. Hos igitur habemus breves coniunctivos, quorum indicativi vocali coniunctiva ε aut ο ita aucti sunt, ut utriusque modi formae plane inter se sint pares neque ullo modo discerni possint, sicut

ind. βούλεται coni. βούλεται
στρέφεται στρέφεται, cet:

in his igitur formis metri causa brevis vocalis correptione e longa esse orta videtur dicendumque cum Curtio linguae inconstantiam reperiri formasque apud Homerum carere firmitudine. At quum ducentorum brevium coniunctivorum, quos attulimus, certa fuerit lex, reliquos sex ratione et lege carere non credimus. Aliam igitur explicationem tentare liceat: quod ut fieri possit, ad singulos accedamus locos et formas.

1. Ac primum quidem βούλεται legitur

A 67. ἀλλ' ἄγε δή τινα μάντιν ἐρείομεν ἢ ἱερῆα, ...
ὅς εἴπῃ ὅτι τόσσον ἐχώσατο Φοῖβος Ἀπόλλων, ...
εἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσης αἰγῶν τε τελείων
βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.

Quamquam dubitari nullo modo potest, quin forma βούλεται et praesentis sit et coniunctivi, tamen metri causa vocali η correpta βούλεται e βούληται ortum esse nego. — Cognovimus enim iam inter aoristi secundi breves coniunctivos formas similis speciei, εὔχεται et ἅλεται, quae ad indicativos vocali coniunctiva carentes εὖκτο, ἆλτο referendae erant.

Qua comparatione commoti similem esse coniunctivi *βούλεται* rationem suspicamur. Non quidem indicativus verbi *βούλομαι* vocali coniunctiva carens exstat, sed fuisse quondam formam *βοῦλ-ται* e coniunctivo *βούλεται* et ex illarum formarum similitudine colligimus: quod comparata lingua Latina confirmatur. Quatuor enim sunt in ea radices consonis terminatae, *es*, *ed*, *fer*, *vol*, quarum praesens sine vocali coniunctiva formatur: *es-t*, *es-t* (pro *ed-t*), *fer-t*, *vul-t*. Atque pariter formatum in lingua Graeca primae radicis praesens habemus *ἐσ-τί*: radicum *ἐδ* et *φερ* coniugationem vocali coniunctiva carentem non defuisse e formis *ἔδ-μεναι* et *φέρ-τε* apparet: in quartam radicem idem cadere coniunctivo *βούλεται* demonstrari censemus. Ut igitur e forma *φέρτε* veterem indicativum *φέρτι* statuere licebit, ita coniunctivi *βούλεται* indicativum quondam *βοῦλται* fuisse credimus. Quae ut magis perspicua fiant, hoc modo breviter ante oculos ponantur:

es - t	*ἐσ - τί*	*ἔσ - τε*
es - t	*(ἔσ - τι)*	*ἔδ - μεναι*
fer - t	*(φέρ - τι)*	*φέρ - τε*
vul - t	*(βοῦλ - ται)*	*βούλ - ε - ται*

2. 3. Sequuntur *στρέφεται* et *ἐπείγετον*.

M 42. *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι καὶ ἀνδράσι θηρητῆρσιν*
κάπριος ἠὲ λέων στρέφεται σθένεϊ βλεμεαίνων.

K 361. *ὡς δ' ὅτε καρχαρόδοντε δύω κύνε, εἰδότε θήρης*
ἢ κεμάδ' ἠὲ λαγωὸν ἐπείγετον ἐμμενὲς αἰεί
χῶρον ἀν' ὑλήενθ', ὃ δέ τε προθέῃσι μεμηκώς.

Ut horum coniunctivorum indicativos vocali coniunctiva carentes statuamus etsi lingua Latina non adiuvamur, tamen si *στρέφεται* et *ἐπείγετον* revera coniunctivi sunt, ex una hac re colligi possit utriusque formae indicativum vocali coniunctiva carentem Homeri temporibus aut priore aetate notum fuisse. Ab Homero enim breves illi coniunctivi *βούλεται, στρέφεται, ἐπείγετον* certe non formati essent, nisi apud totam gentem fuissent usitati: quod ita tantum fieri potuit, ut indicativi *βοῦλ-ται, στρέπ-ται, ἔπεικ-τον* exstarent, quorum in locum postea formae vocali coniunctiva auctae *βούλεται, στρέφεται, ἐπείγετον* venerunt. Sed, ut iam dixi, haec nostra de formis *στρέφεται* et *ἐπείγετον* disputatio, nisi coniunctivi

eas esse constat, nullam vim habet. — At possitne fieri ut indicativus statuatur? Potest quidem fieri, sed non sine ulla verborum mutatione. Quod si velis, priore loco fortasse *ὡς δ' ὁπότ' ἔν τε κύνεσσι* pro *ὡς δ' ὅτ' ἂν ἔν τε κύνεσσι* scripseris eam comparationis rationem secutus, quae inest in

Λ 492. *ὡς δ' ὁπότε πλήθων ποταμὸς πεδίονδε κάτεισιν*
χειμάρρους κατ' ὄρεσφιν, ὀπαζόμενος Διὸς ὄμβρῳ.

Altero autem loco scribendum haud difficile se praebebit

χῶρον ἀν' ὑλήεντα, ὅ τε προθέῃσι μεμηκώς

Ceterum *ὑλήεντα* in Aristarchi libris fuisse ex Eustathii adnotatione intelligitur hac: *ὁ τέ συνδεσμὸς οὐκ ἦν ἐν ταῖς Ἀριστάρχου.* Itaque haec efficitur constructio: *ἐπείγετον* a *προθέῃσι* coniunctivo enunciati relativi — nam *ὅ* mutatione illa fit pronomen relativum — ita separatur, ut indicativus statuendus sit: quam comparationis figuram ab Homero alienam non esse ex his exemplis apparet:

N 62. *αὐτὸς δ' ὥς τ' ἴρηξ ὠκύπτερος ὦρτο πέτεσθαι,*
ὅς ῥά τ' ἀπ' αἰγίλιπος πέτρης περιμήκεος ἀρθείς
ὁρμήσῃ πεδίοιο διωκέμεν ὄρνεον ἄλλο,
ὣς ἀπὸ τῶν ἤιξε Ποσειδάων ἐνοσίχθων.

ρ 518. *ὡς δ' ὅτ' ἀοιδὸν ἀνὴρ ποτιδέρκεται, ὅς τε θεῶν ἒξ*
ἀείδῃ δεδαὼς ἔπε' ἱμερόεντα βροτοῖσιν.

His expositis addendum est utramque rationem modo propositam veram esse non posse: alterutram esse veram credo et confido. Sed utra sit, — prior illa servandi coniunctivi an haec indicativi statuendi ratio — diiudicare non audeo.

4. 5. *ναυτίλλεται* et *μίσγεαι* his locis reperiuntur:

δ 672. *ἀλλ' ἄγ' ἐμοὶ δότε νῆα θοὴν καὶ εἴκοσ' ἑταίρους,*
ὄφρα μιν αὖτις ἰόντα λοχήσομαι ἠδὲ φυλάξω, ...
ὡς ἂν ἐπισμυγερῶς ναυτίλλεται εἵνεκα πάτρης.

B 232. *ἦ ἔτι καὶ χρυσοῦ ἐπιδεύεαι, ὅν κέ τις οἴσει*
Τρώων ἱπποδάμων ἐξ Ἰλίου υἷος ἄποινα,
ὅν κεν ἐγὼ δήσας ἀγάγω ἢ ἄλλος Ἀχαιῶν,
ἠὲ γυναῖκα νέην, ἵνα μίσγεαι ἐν φιλότητι;

Quum indicativi vocali coniunctiva carentes *ναύτιλλ-ται* et *μῖσγ-σαι* nullo modo possint fingi, sed aucti tantum vocali coniunctiva statuendi sint *ναυτίλλεται, μίσγεαι,* coniunctivos nisi longis vocalibus notatos — *ναυτίλληται, μίσγηαι* — exstare non posse iudico illasque formas *ναυτίλλεται* et *μίσγεαι*

falsas esse lectiones. Ac prioris quidem loco coniunctivus aoristi *ναντίλεται* facile coniici potest, cuius firmandi causa verbi *τίλλω* aoristi infinitivus *τῖλαι* ad indicativum *ἔτιλα* referendus afferatur, qui exstat apud Theocritum III, 21: *τὸν στέφανον τῖλαί με καταυτίκα λεπτὰ ποιησεῖς*. In altero autem loco *μίσγηαι φιλότητι* pro *μίσγεαι ἐν φιλότητι* ab ipsa consuetudine Homerica praebetur.

6. Postremo *κελεύομεν* legitur

Ψ 659. *Ἀτρεΐδη τε καὶ ἄλλοι εὐκνήμιδες Ἀχαιοί,*
ἄνδρε δύω περὶ τῶνδε κελεύομεν, ὥ περ ἀρίστω,
πὺξ μάλ' ἀνασχομένω πεπληγέμεν.

Cuius formae etsi indicativus vocali coniunctiva carens pariter statui non potest ac formarum *ναντίλλεται* et *μίσγεαι*, tamen coniunctivus *κελεύομεν* nescio an servandus sit. Ut enim coniunctivorum *ἀλεύεται*, *περιχεύεται*, *χεύομεν*, quos supra (p. 18) attulimus, indicativi sunt *ἠλεύατο, περιεχεύατο, ἐχεύαμεν*, ita formam *κελεύομεν* aoristi coniunctivum esse censeo, cuius indicativus *ἐκελεύαμεν* nobis non servatus pariter ac forma *ἐκελεύσαμεν* quondam usitatus fuerit. —

VITA.

Joannes Ernestus Julius Paech Soldini in oppidulo Neomarchico d. XXVII m. Oct. a. MDCCCXXXIX natus patre Henrico Guilelmo Paech et matre Albertina, quae gentis est Hoffmannianae, fide consecratus sum evangelica. Atque in schola civica, cuius rector Reiche erat et conrector ipse pater meus, primis litterarum elementis imbutus Zuellichaviam veni, ubi quinque annos gymnasii discipulis adscriptus Hanovio viro illustrissimo directore tirocinium perfeci. Maturitatis igitur testimonium adeptus m. Apr. a. MDCCCLVII academiae Beroliniensis civis sum factus. Et philologicis quidem studiis occupatus audivi professores ill. A. Boeckh, M. Haupt, Trendelenburg, Hirsch, Lepsius, Geppert, Dr. Gosche. Relicta autem universitate Beroliniensi inde a mensi Oct. anni sequentis Viadrinae civis hiemeque confecta seminarii philologici socius lectionibus adfui virorum clarissimorum F. Haase, A. Rossbach, R. Westphal, Raebiger, Pfeiffer. Ac doleo quidem quam maxime, quod tria tantum semestria Viadrinae esse mihi licuit. Necessitate enim quadam coactus per unum semestre rursus academiae Beroliniensi adscriptus fui, ubi viros ill. Guhl et Benary audivi. Annum autem proximum ad firmandam valetudinem apud parentes moratus, quantum fieri potuit per me solus studui litteris.

Finem vero facere non licet, antequam omnibus iis, qui optime de me meruerunt, ex intimo pectore egerim gratias. Gratias igitur maximas ea qua decet pietate et vobis ago, amatissimi parentes, quos Deus benignus etiam per longum tempus mihi servet, et vobis, praeceptores amplissimique professores, erga quos animo grato esse nunquam desistam.

THESES.

I. Optativi forma Homerica *πραραφϑαίησι* (Il. *K* 346) etsi analogia caret, tamen contra editorum recentiorum iudicium servanda est.

II. Versus ab omnibus fere editoribus damnati, qui est Hom. Il. *H* 353, exsisto defensor.

III. Versum Homericum Od. *τ* 122 censeo esse removendum.

IV. Dissentio a Bekkero, qui in Hom. Il. *Ω* 664 *γοάῳμεν* et in Od. *ω* 190 *γοάῳεν*, non quae solent reperiri formas *γοάοιμεν* et *γοάοιεν* scripsit.